IN MAGNI HIPPOCRATIS COI LIBRVM

De Aere, Aquis, & Locis

PARAPHRASIS.

CAMILLI FLAVII FANESTRIS MEDICI,

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, M. D. XCVI.

Apud Rubertum Meiettum.

HIERONYMO RVSTICVCCIO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.



Camillus Flauius fœlicitatem.



YTHAGORAM fertur olim dixiſſe Cardinalis Ampliſſime, vanam eſſe illius Philoſophi orationem, quæ nullam in homine paſſionem curat; quemadmodum & medicinæ nullus ſit vſus, niſi morbos a corporibus exterminet; Diſciplinarum ſtudioſi, quique non parum in eiſdem profecerunt, diuerſos in ſcribendis libris fines ſibi propoſuerunt; omnes tamen viris intenderunt ſuas, vt eaſdem in quibus verſati ſunt diſciplinas augerent; tum vt ſeipſos honeſtis titulis decorarent; at multò magis, vt alijs adiumento eſſent. Viſum mihi etiam eſt, ſin minus ex litteratis vno, at certè bonarum litterarum ſtudioſo, aliquid de optimis

disciplinis promereri; ne quod ex iugi medendi vsu tempus superesset, otio contererem; atque Hippocratem medicinæ parentem in scribendo quidem subobscurum, mihi primum, deinde aliqua ex parte studiosis explanare: præcipuè autem circa id opus versari, quod inter cæteros vtilissimum foret, atque iucundissimum: Eum autem explicandi modum mihi constitui, qui & ad intellectionem minus esset obscurus, atque prolixitatis expers: eumque paraphrasticum stylum accommodatissimum esse iudicaui; quando paraphrasis nedum interpretatio est, sed circa eosdem sensus certamen, atque æmulatio quædam: Themistium Auctorem Græcum, atque insignem Philosophum imitatus; cui præter rei ab Aristotele propositæ explicationem, libuit etiam nec citra emolumentum, extra chorum, vt dicitur quandoque canere. Dum autem cogito cæteris quoque studium hoc meum communicare, subijt in mentem quod Caium Lucilium hominem perurbanum legimus solitum olim dicere; Mæcenatem scilicet, ea quæ scriberet, neque se a doctissimis, neque ab indoctissimis legi velle; quod alteri nihil prorsus intelligerent, alteri fortasse plus quàm ipse. Dum huc illucque fluctuat animus, denique ab eo dissensi; exoptauique, mea hæc, licet tenuia, a doctissimis legi, quando, si boni quid in eis nacti fuerint, ingenuè laudabunt; sin mali, moderatè saltem reprehendent; indoctissimi enim quique,

quod

quod probandum non modò non intelligentes non probant; sed etiam improbant, ex hac vna re gloriam sibi aucupantes; Aliam etiam ob causam hoc mihi vidi faciendum; vt scilicet dum libellus hic editur, atque in tuo ornatissimo nomine apparet, summam tibi obseruantiam meam in dies confirmarem; quum enim Romæ per aliquot superiores annos apud te, & fouentem, atque aduocantem medicum egissem; a quo quidem munere non animi mei arbitrium, sed solicitudinum exagitationes, vt omnes norunt, distraxerunt, tuamque erga me oblatam sæpè paratam voluntatem memorarem, qui non semel dixeris, velle te gratum aliquod mihi quandoque præstare; præter Ioannis Baptistæ patris apud te non obscuram meritorum memoriam; cuius in Aristotelem opus a me superioribus annis tibi dicatum quanta exceperis animi benignitate, & tuæ ad me litteræ, & aliorum testimonia comprobarunt: ex his inquam motus, cuinàm honestius meum hunc laborem dicare debueram? Ego verò non committam hoc loco, vt de singulari tua virtute, & rerum maximarum vsu, & cognitione, deque magna apud Summos Pontifices auctoritate denuò differam; cum admoneat me Socraticum illud, quod sæpè dicentem te familiariter audiui: Placere scilicet tibi magis esse quàm videri: atque in eam curam perpetuò incumbas, & ita agas, vt qualis haberi velis, talis sis. Et

quàmuis

quàmuis te in maximis Christianæ Reipublicæ muneribus impeditum appellare non debueram; humanitate tamen tua fretus iamdiu mihi perspecta, exiguum hoc munus suscipere, tanquàm alienum a tua dignitate non existimes rogo; quousque expositionem vnà cum enarratione Libri eiusdem Hippocratis de acutorum morborum victu, eodem stylo scriptam, quem modò concepi, si quando honestum otium nactus fuero, iterum amplissimo nomini tuo parere, quandoque Deus Maximus dederit. Bene vale, ex Fano Fortunæ.

D. PII

D. PII MIRANDVLANI CANONICI REGVLARIS

Ex Familia Sanctissimi Seruatoris,

διδεκαστικῶν .






NCOLVMEM quicunque cupit producere vitam,
Atque omni prorsus sine morbo viuere longûm,
Hæc mira scripsit quæ Flauius arte Camillus
Sæpe legat, (dulci sunt omnia nectare plena)
Ipse repertorem medicinæ, vsusque medendi
Annos bis mille & triginta, lumine cassum
Hippocratem, ex vndis Stigijs ad lumina vitæ
Traxit, & insignem multo quàm reddidit ante:
Quod namque ille de aquis, regionibus, aere scripsit,
Sensibus hic imis exponit, vt alter Apollo.
Fœlix tu ante alias Vrbes, Vrbs inclyta Fanum;
Quæ talis, tantique viri fulgore coruscas.



PACII PACII FANESTRIS

ζαςἴκων.





YMPHA, æther, regio qualis modò debeat esse,
Doctus demonstrat Flauius ecce tibi;
Hoc opus egregium, egregio te Principe dignum,
Accipias hilaris, ut bona cuncta facis:
Immemor haud nostri sis oro Amplissime Præsul,
Qui pandis pennas in latus omne tuas.



IN MAGNI HIPPOCRATIS COI LIBRVM

De Aere, Aquis, & Locis

PARAPHRASIS.

CAMILLO FLAVIO MEDICO FANESTRI AVCTORE.



TSI ea sit Medicinæ dignitas, vt non nisi rerum natura constantium scientia intercedente, humanam mentem asse- qui eam vnquàm rectè posse, vel quisque fateri cogatur; velut ex qua, nedum humani corporis constitutionis, verum etiam aduersæ valetudinis pendet omnis cognitio; earum tamen affectionum meditationem, quæ a Superiorum corporum natura præcipuè deriuant, in eadem facienda non mediocrem partem sibi vendicare existimamus: Sunt autem hæc præcipuè, temporum anni constitutiones, eorundemq; vicissitudines; solis stationes, & reditus; denique & quorundam syderum ortus, atque occasus: Siquidem, isthęc, dum aerem quem intrò suscipimus immutare valent, inde etiam humana corpora alio, atque alio modo disponi necesse est; quan-

do pro temporum cautionibus humores in nobis densiores remissioresve gignuntur; & iuxtà eandem rationem multi morbi, multæq; bonæ corporis constitutiones prodire soleant. His assecutis, ventorum diligens obseruatio accedere debet; tùm communis, cum etiam quorumcumque priuata; eorum scilicet qui cuicunque regioni familiares sunt; futurum quippè est; vt dum frigidiores feruentioresq; ; aut alia quauis impressione sint præditi; qui cuipiam salubres sunt, alteri morbidam naturam impartiantur; & prout diuersi sunt terrarum tractus, modo hoc, illud modò morborum genus oriri contingat.

3. Quid, quod & aquarum facultates, quo scilicet inter se præstent, caliditate nempè frigoreq; ; tenuitate & crassitie; quæ hominibus sanitatem impartiri; quæve morbos parere aptæ sint, ars ipsa nouisse expostulat? quo enim magis quæq; prauitate cæteris præcellant, minus etiam aptæ erunt, humanæ quibus saluti consultum iri possit.

4. Quapropter, contingenti cuipiam regionem appetere, cuius positus minimè anteà fuerit natura perspecta; eam diligenter expendere decet; cum id quocum toto vitæ nostræ cursu degere oporteat, quoque necessario vti debemus, maximo fuerit emolumento anteà delegisse. Fit enim dum huc illucq; vrbs & regio spectent, aeri aut salubriori, aut inclementiori homines subijciantur; indeq; variæ ipsis affectiones contingant; quod quidem ne cui faciat dubitationem, lubeat exemplo confirmare: quis ibit inficias, maximè referre, vrbs seu regio Boream, Austrumve flantes spectet; seu Oriens Sol occiduusve eas illustret, cum alij euentus ex Aquilonaribus inspirationibus, alij verò ex Australibus prodituri sint, minusq;

eadem

eadem affectione Sole accedente, ac discedente humana corpora corripi consueuisse? Cæterum, ad aquas rursus stylum conuertentes dicimus; diligentissimum sese medicum præstare oportere; vt nouerit quæ aquæ cuiuis regioni, & Ciuitati familiares sint; cum & ipsæ æquè, ac aer proprio quodam ordine corpora immutare queant: Si enim palustres, cęnosæ, coctuq; contumaces fuerint; Siue in præcordijs gurgitent veluti & suspendantur; quas aquas indomitas nuncupare consueuimus; veluti eæ sunt, quæ ex accliuibus saxosisq; locis deturbantur, aut quæ vix terræ superficiem euadunt, sublimesq; dicuntur; siue metallicum quid & fossile præseferant, ingurgitentur autem; quæ non hominum corpora perturbare valebunt? Addenda his etiam est soli conditio; Si quidem, si squallens plantarumq; sit expers, aquisq; scateat, quæ tamen decliui fluant loco, & perflatu vndique careant; vel contra, editæ, nudoq; ex solo exurgant, ventis necnon pateant frigidioribus; quos non diuersos affectus corporisq; dispositiones excitabunt? Nouisse præterea est operępretium, quem in viuendo in quauis regione, & ciuitate homines seruent modum; & quod ad cibos spectat, num apud eos iugis sit ciborum delectus; an verò quolibet eduliorum genere vescantur; cum sciuisse intersit plurimum hoc illove si alantur cibo; siue semel, siue bis qualibet die; num helluones, minimum verò bibaces; an contrà bibuli, minus autem voraces sint. Idem attendere oportet circa vitæ exercitationem; quidam enim hominum vitam ducunt otio tabescentem; nonnulli intemperanter se exercent; alij medium inter hos tenent; sicuti enim corpora dum cibo potuq; replen-

Marginal notes: 5. (beside line 2); Aquę indomitæ. (beside line 6); Aquę sublimes. (beside line 12); 6 (beside line 15); 7. (beside line 21)

tur moderatè, præscriptoq; cuidam labori se submittunt sanitatem sibi conciliant; ita si insolenter, citraq; naturæ licentiam ijsdem vtantur, prauos affectus sibi comparabunt; quando sanitatis studium illud futurum sit, dum cibo potuq; quis minimè se expleat, impigerq; sit ad labores. Isthæc itaque si Medicus ritè nouerit, aut saltem horum aliqua, potiora tamen; id capiet commodi, vt quamuis ignotæ antea vrbis præsentem hominum naturam nondum fuerit exactè assequutus; quæ eorundem tamen deinceps futuræ sint dispositiones; quibusque affectionibus homines obnoxij sint; necnon qualia admouenda sint præsidia, pristino ut statui restitui posint facillimè dijudicabit; nullibiq; in curando errare continget. Hæc uerò quilibet assequi non potest, sed is tantùm qui cæteros ingenij præstantia, atque animi prudentia superauerit; Quinimò, hinc Medicus propriæ etiam dignitati consulet; quando ex tempestatum horarumq; meditatione, eorundemq; initio atque exitu; necnon syderum ortu, Occasuq; perspectis; anni totius, atque futurorum morborum constitutiones facilè ueluti diuinabit, indagataq; deindè eorundem temporum natura; post morbos pulsos, atque hominum firmam ualetudinem, ingentem in medendo fœlicitatem sibi comparabit. Neque idcircò quis eat inficias, Syderum obseruationem medico usui futuram; existimetq; diuinitoris eam potius cuiusdã esse speculationis; quando eam & eidem necessariam fore iudicamus; si temporum uarietates, quæ ex ijsdem maxime deriuant, ad humana corpora immutanda plurimum conferre, credimus.

Syderum obseruatio Medico necessaria.

Age modò particularia magis attingamus; atque a regionibus

gionibus primùm, quatenus uentis perflentur proprijs, atque aquis scateant exordiri lubeat: quorum quidem proprietates, atque affectiones non bellè quemquam assequi posse credimus, nisi quonam pacto fiant uenti, quaque ex re; mox & aquæ suo quidem loco antea nouerit. De uentis itaque primum dicimus; quòd Sol, dum cęlum percurrens circulo mouetur, duplicis exhalationis est auctor; altera humida est, quæ uapor rectè nuncupatur; altera uero aridior, quam interim fumosam exhalationem, appellare soliti sumus. Vtræque autem inter se mixtæ sunt, & una etiam a Sole trahuntur; quæ uaporosior est atque humidior, sicuti a Sole dum propius ad nos accesserit, & terram eximiè calfecerit, sursum tollitur, coactaq; ab aeris frigiditate pristinæ naturæ restituta in aquam uertitur; ita rursus ex eadem terræ calfactione fumosa alia exhalatio trahitur; quam cum potentia calidam inuenerit Sol, mox ficciorem fumosioremq; efficit; quæ deinceps uentorum materia efficitur; quippè, uenti & pluuiæ cum prorsus inter se differant, a diuersis principijs oriantur necesse est; hoc ostendunt uariæ temporum constitutiones; quoniam anni sæpe humidiores maximèq; pluuij, sępe etiam squallentes & sicci; itidem nunc uentosi; nunc tranquilli: & quod ad regiones attinet; hæc etiam euariant quandoque, quædam enim uentis abundant, aliæ aquis; modò totæ aquis scatent, quandoque uniuersa uentis; quæ tanta diuersitas non aliundè quam a causarum diuersitate emergit; nam prout fumosæ exhalationes, uel humidæ hoc uel illo loco, aut tempore magis minusve uigeant deficiantve; ita imbres, siccitates, uentos, ac tranquillitates pariunt; addendum etiam est, quòd uenti &

Vēti quo pacto gignantur digressio

pluuiæ

pluuiæ concedere sibi solent, neque utraque eodem tempore fieri, sed alterius aduentu cessare solent: præterea, non leue argumentum est quòd a Meridionali plaga atque Aquilonari, uenti plurimum perflant quàm ab Orientali Occidentaliq;. Etenim ea loca potissimum huiuscemodi exhalationibus abundant; Sol enim non eorum apices iugiter superat, sicut Ortus, & Occasus, sed modò accedit, recedit modò, ita plurimas exhalationes suo accessu, atque recessu producat necesse est, quas cum non bellè ualeat discutere, in nubes cogantur oportet, & deinde in aquas; si autem ut antea diximus, uenti pluuijs succedere solent, ac pro eorum etiam copia abundare, uentos etiam ab exhalationibus prodire fatendum erit. Cùm itaque in aere exhalationes hæ sint, frigus quo media eius regio prædita est, a quo refrigerationis initium sumunt suum; dum coguntur, mox in uentos degenerant; quæ quidem si paucæ fuerint, leues etiam uenti fient, ac plurimis itidem collectis, sibiq; mutuo succedentibus, & commixtis, ualidiores efficiuntur. Hunc itaque in modum temporum mutationes ac tempestates, uariæq; anni uersiones fiunt. His ita constitutis, ad uentorum particulares naturas aperiendas, prout scilicet ordo orationis & necessitas exposcere uidentur, facilius accedere licet. Venti itaque, alij calidæ, alij frigidæ erunt naturæ, quod ad calidos spectat, cum ij ab ea potissimum orbis parte spirent, super quam Sol oriens, atque hyberno tempore occidens hyemale solstitium constituit, quam tempestatem brumam nuncupare soliti sumus, loca, urbesq; quæcunque eò spectant, calidis ut flatibus maximè subijciantur oportet, idq; multiplicem ob causam; tum quia ob edi-

tissimos

tissimos montes ab Aquilonaribus uentis tueantur, tum quia ab eodem Aquilone maximè distent, qui inter cæteros uentos frigiditate præcellit; tum demum, quoniam ex eo positu uenti caliditatem a Sole maximè suscipiant, iugiter enim super eadem regione mouetur. Aquæ autem sicuti præ copia abundant ob uaporum, scilicet multitudinem quibus ea loca pro Solis caliditate lociq; inclinatione plurimum scatent (id ipsum enim efficit occursus inter se contrariarum qualitatum, hinc scilicet caloris sursum ferentis, indè autem frigiditatis aereæ occurrentis, ac in aquam densantis) ita etiam fit ut terræ exhalationibus fumosis ijdem uapores permixti salsedinem indè sibi comparent; quæ eædem aquæ cum non longè a terrę superficie ob situs inclinationem distent, facilè a Solis, & frigoris ui ut feriantur oportet; mox & eandem naturam referant, qua aer uentiq; præditi sunt; æstate scilicet calidæ, hyeme uerò frigidæ ut sint, quas aquas sublimes appellare maximè congruum est, ueluti contrarium obseruare licet ijs in regionibus, atq. ciuitatibus, quę uentis, & aquis salubrioribus fruuntur, fęliciorię fouentur Sole, quando minus ex illis aquarum mutationibus, prauisq; aeris alterationibus si quæ fuerint, frigidi scilicet in calidum detrimenti patientur, quàm pauloantè annotatæ regiones, & urbes; & si quæ aliæ sint quæ insalubri cęlo incommodoq; Solis aspectu, aquis cęnosis, atque lacustribus potiuntur, ex his enim uentres hominum morbosi, ex illis auditus hebetes, caliginosi oculi, capitumq; grauitates ut producantur rationi consonum est. In hoc itaque terræ tractu morbido, calido scilicet, uaporibus prauisq; aquis prædito, si æstas suam in caliditate, & siccitate naturam

seruauerit,

seruauerit, affectus si qui contingent (quoniam calidi munus est corpora reserare, humoresq; dissipare) citò exitum sortientur suum, citius & adhuc, si regio concinnè posita fuerit; opem ferente & loci, & aeris natura. Si autem fortè fortuna contigerit, ut æstas pluuijs fuerit obnoxia, nil obstiterit, quin contrariam ob caussam in longius protrahantur morbi; Si quidem, accretæ humiditates diutius longè euinci poterunt, quòd si humorum prauitate incolæ, atque ulceribus scateant, a quacunque uel leui occasione facilius in hac quàm illa regione maligna eadem euadent, si quidem bilis acredo facilè carnes depascitur, difficiliusq; siccescunt ob aeris contagem, phagedenæ ea nuncupantur, seu circumexedentia. Contrarium uero continget, si hyems frigidior æquo fuerit, ut quæ peius eos actura sit, qui prauos locorum situs sortiti sunt, quàm qui bonos: Incolæ quippè quibus capita humentiora fuerint, pituita referta ut sint oportet plurima, uentresq; habeant citatiores quam par sit; quæ enim in caput congesta est pituita, ob exprimentis aeris frigiditatem per fauces in uentrem, mox in intestina deturbabitur, quinimmò, adeò homines inde reddentur imbecilles, ut comessationibus potubusq; minus sese accommodare possint, ob capitis scilicet infirmitatem, ratioq; id suadet, si quidem uapores quos uentres in eduliorum transmutatione gignunt, cum suapte natura sursum caput petant, illudq; minimè firmum sit, & ijsdem necessariò impleatur, ac ueluti extendatur, non nisi maxima postmodum ui eos discutere ualet, quare crudiores dum resident & inconcocti, caput iterum imbecillius reddant oportet, quo debili existente, nunquàm crudos in uentre humo-

res deturbare deſinet; eo autem ex frigore hebetiore adhuc facto & debili; iterum inconcoctos vapores in caput tollit, fitq; inde modus ad inſtar fluentis, & æternum refluentis fluuij; & quicquid in ventre reſederit, in teſtina dum petit, alui leuitatem producit: hanc itaque ob cauſam prænarratos homines crapulam largumque potum minimè ſuſtinere poſſe, ventriſque fluorem prodire exiſtimamus. Patiuntur autem populi quorum regiones incommodum ſitum ſortitæ ſunt, ſuos quoſdam patrios affectus; fęminę quippe vt plurimum quia viris humidiores ſunt, morbidè vitam trahunt ſuam; congerunt enim plurima cruda recrementa ex capite huc illucque fluere parata; quæ dum in vteros præcipuè collabuntur, hiſtericis paſſionibus vt capiantur oportet; præterquod aſſiduò eaſdem ob cauſas fluunt; vndè plurimæ earundem non quidem natura, ſed morbi vi, quia frigidos, laxos, atque humentiores adeptæ ſunt vteros, ad concipiendum minus aptæ redduntur; extinguitur enim in ipſis genitura, eo quidem modo, quo paſſim cærealia ſemina ſi paluſtri loco quopiam iaciantur nimia ſoli humiditate emori animaduertimus; ſi quæ autem earum conceperint; maxima ex parte fętus ſuos ad vſque ſtatutum pariendi tempus minimè geſtabunt; ſed abortiri continget: conceptus enim præ pondere intus contineri nequit; laxatis ſcilicet à nimio humore quæ ipſum conſtringunt vinculis; ſi qui vero infantes fuerint ſuperſtites, vitam miſerè traducent ſuam, nam ex cerebri effluxione, anhelationes, reſpirandique difficultates, nec non epilepticæ conuulſiones illis ſuperuenient præter enim quòd præhumido præditi ſunt corporis temperamento ab ipſo ſtatim ortu; præcipuè autem ce-

rebri & neruorum mollitie;maximas etiam his affectionibus regio dabit suppetias; quando ea ad tempora & naturas malè disposita, tales morbos parere solet quales tempori fuerint similes; inde itaque corpus vniuersum imbecillimum redditur, neruosumque genus minime firmum fit. Qui autem eorum viri euaserint, & consistentem attigerint ætatem, proprijs corripiuntur noxis; nam præter connaturalem corporum intemperiem in qua bilis præcipuè gignitur;regionis conditionem,aeris nec non & aquarum crassitiem; ij quibus pituita à capite defluet,ob calidi humoris miscellam salsedinem adepta,si intestina petierit,eorundem difficultates,dysenterias scilicet,diuturna & alui profluuia patientur;diuturna inquam, quoniam ob humorum cruditates, qui copiosi cum sint, & præterfluunt tantum distribui, minimumque digeri in ea ætate possunt,quia augeri iam desinunt corpora, febres etiam gignuntur,quæ calorem vnà & frigus præseferent; epialæ nuncupantur;hoc quidem pacto; quoniam capita, aliæue corporum partes crudis cum referta sint succis,acidumque iam conceptum humorem per vniuersum corpus dispergant,cuius quæ putris facta est minor pars calorem, quæ non dum putruit copiosior frigus impartiri apta est; eodem tempore, & calore & frigore corpus præhendatur oportet. ad summam,quascunque hyemales febres pati eos posse uerisimile est, pituita enim quæ omnium humorum frigidissima est,hyeme maximè augetur,nec suapte natura, neque ob frigidi aeris circumsistentiam calidique imbecillitatem facilè digeri apta est; idcircò diuturni morbi euadunt,nec nisi æstiuo tempore vt plurimum soluuntur.solent ijsdem vlcerosa quędam suboriri tubercula, cutisq;
defe-

defędationes;epinictidas quis appellarit;ſunt enim vlcuſcula inſtar bullę exeuntis ſubrubra, quibus abruptis,effluere ſanies ſolet ſubſanguinea, die quidem non valdè; ſed noctù multo magis quam vlcerum ratio expoſcat affligentia: ex multo enim craſſo ſanguine, pituita verò pauca componuntur: quarum ſimilis ętas & ipſa regio maximè ferax eſt; nox autem ea maximè excipit, quoniam frigida cum ſit, viſcerum calor eo tempore quia intus colligitur validior factus,fortius etiam ad externam cutim quod ſibi noxium eſt propellit,ibique frigore quia denſa facta eſt cutis,ſiſtuntur humores,puſtulęque indè & epinictides huiuſmodi fiunt. Eandem etiam ob cauſam venarum explicationes quę ſedem pertingunt intumeſcere ſolent; delatione paulatim ſanguinis eò facta; cùm ſcilicet nigra bilis in uenas illas cumulatius decumbit: natura enim humorum copia ueluti preſſa,eò ſanguine fęculento detruſo, ijſdemque plenioribus factis, quia acris pituita recto inteſtino infixa eaſdem calefacit,trahitque iterum, indeque extenſis nimiũ ſi abrumpantur,mox craſſus ſanguis extra iaculetur neceſſe eſt: cùm itaque eę vigeant aeris conſtitutiones, taleſque producantur corporum diſpoſitiones; neutiquã mirum videri debet,ſi minimum acutis morbis obnoxia ſint ea corpora, pleuritidibus ſcilicet, aut peripneumonijs,ardentibuſue febribus,& id genus alijs; quandoquidem cum ſimiles affectus ex collectis intra viſcera caliđiſſimis humoribus producãtur, qui fieri poteſt vt aluis eorumdem largè fluentibus, hyemeque pituitam maximè progignente,calidi humores large producantur; detentique inflammatorios affectus parere poſſint? quibus enim pituita redundat rarò vexantur pleuritide; pręſer-

tationes eandem regionem inuaſerint, iiſdem ſenes quoque facilius, quàm cæteri ſubijciantur veriſimile eſt, quando præter imbecillam naturam, eundem quem & cæteri homines aerem intus corpora trahere cogantur. Cæterum, regiones ac vrbes ex aduerſo ſitæ, eo pacto ſcilicet, vt illis ventis pateant qui æſtiuum inter Orientem Solem, & Occiduum ſpirant, per Borealem ſcilicet, plagam incedentes, (eæ enim frigore congenito maximè vigent, quando Auſter nullo pacto eò vſque flare poſſit, montes quippè ex aduerſo ſiti eorum impetus prohibent) quid proprium habeant, audire lubeat. Primum quidem, aquæ ſi quæ ſint frigidæ, indomitæ, & ſolis vi minimum perculſæ, vt eæ ſunt quæ ſubterraneis terræ cauitatibus ſcatent, ſæpius dulceſcunt, calor quippè qui internis terrę viſceribus viget, eaſdem calefaciendo ſuauiores, potuiq; accommodatas magis reddit; quo fit, vt homines ea aeris, atque aquarum qualitate affecti, incolumem etiam vitam traducant: ſicci enim duræ carnis, atque robuſti fiunt, quoniam frigidus & ſiccus aer corpora cogit, innatoq; calore intus aucto, fortiora mox, atque ad ſuſtinendos labores aptiora reddit: fit autem hinc, vt eorum plurimi quorum corporis habitus exſiccatus eſt, dum pro alendis ſeſe eorundem humiditates ſibi alliciant, uentres ex ſucci fiunt duri, atque omni prorſus humiditate deſtituantur, (diu enim retenta excrementa ſicciora in dies vt fiant oportet, minimeque ad exercendum accommodata, quod quidem paulo ſupra enarratis ſecus contingebat, cum fluuidi iugiter fierent eorum ventres, ob expreſſam, ſcilicet a capite ob frigus pituitam) internaque maxime caliditas a frigido externo intus aucta, cum propria vi bilis co-

piam gignat, pituitæ verò parum, quia ea in externis tantum capitis partibus, & corporis ambitum frigoris contactu congeritur, vna dum ambo sint permixtæ, biliosæ etiam fluxiones magis quàm pituitosæ superioribus corporum cauitatibus gignantur necesse est, ea propter, quia expressa est humiditas, non mirum, si eorum capita exiccata iam, firmiora postmodum fiunt: Attamen venæ frigoris vi cum rigeant, & proinde obdurescant, minusque facile quàm par sit extendi possint, præter q; sanguinis vbertate, quā corpora gignere apta sunt ob interni validā caloris vim explentur nimis, dupli cem ob causam rūpantur tandē oportet, frigidū.n: valde uenas frangit. Nonnullis autem & hi familiaribus uexantur affectibus, in quorum censu pleuritides, alijq; acuti morbi ueniunt, quorum occasio uel hinc pendet, quoniam ut antea admonuimus, cum uentres præ ambientis ui arescant ueluti, calorq; intus coactus non parum biliosi succi pariat, is autem cum per corporis ambitum repellente frigore digeri nequeat, intus detentus perflatu omninò carens putrescat, atque hinc indè & ad latera per uenas feratur oportet: pectus autem cui ampla sunt sanguinis conceptacula crebræq; uenæ, adhuc etiam suo motu eundem humorem supercalefacit, tenuiq; reddito, necnon acriori, & proinde penetrabiliori, nequeunte illum contentrice ui cohibere, quia insurgens expultrix facultas per minutissimas etiam uenas sibi proximiores eum transponit, quousque tandem eas exiens, pars in membranam costas ambientem sese insinuet, putriq; facta adhuc magis partes denique abscendant, & pleuritides progignuntur: Sanguinis autem quod reliquum est intus in uasa collectum, dum uenarum

Pleuritidis generatio.

Tabis generatio.

rum tunicas tendit quæ antea ob externum frigus, aquarum duriciem & rigorem obduruerant, facilè eas frangit, eapropter in pulmonis ſubſtantiam fundens ſeſe, cum extra ſua cõceptacula propriam amplius naturam non retineat, putris atque acris poſtmodum efficitur, eandemq; contactu dum eſt, ulcera gignit, tabesque deindè ſubſequatur neceſſe eſt. Cæteri etiam acuti affectus ſimili modo producuntur; Nec mirum, ſi copioſus idem calor intus coactus robuſtiora reddens uiſcera, eoſdem homines poſtmodum uoraces magis quàm potus appetentes reddat; calidiſſimi enim uentres dum ciborum copiam in ſui ſubſtantiam uertunt facilè, potuſque liquentis naturæ quia ſunt, uentres autem ſolidiori ſubſtantia largè explentur, largam etiam potus copiam una minimè ſuſtinere ualent, nimium quippè extenderentur, præter quod ſolida & robuſta eorum membra ex largiori potu laxata diſſoluerentur magis quàm eorum natura expoſceret, addimus etiam; quia uterque appetitus in oppoſita tendunt obiecta. Superueniunt his hominibus etiam oculorum inflammationes, lippitudinesve, ſiccæ quidem, ſolutu difficiles, non autem crebræ (quando non eadem ſemper eſt cęli conſtitutio) uerum interpollatæ, quandoquidem robuſta eorum capita cum a quauis uel leui occaſione minimè ægrotent, ſed grauem eam exigant, fit indè ut cum ſuperuenerint ægritudines, magnæ etiam futuræ ſint, idcirco lippitudines ſiccæ & duræ fiunt, ob aeris, ſcilicet, rigorem, qui tunicarum oculorum ſubſtantiam cogens, nequeunte altera ex parte natura eorum ſanguinem intus prę copia continere, diuelluntur franguntúrq;. Qui uerò eorum uitam citra trigeſimũ agunt annum, quia florente fruuntur

Lippitudinis generatio.

tur iuuenta, calidiori superueniente cęlo, ambobus uberioris sanguinis generationi opem ferentibus, narium largos fluores perpetiuntur, prout scilicet, sanguinis quantitas adaucta exposcere uidetur. Simili modo & comitiales morbi ijsdem accedunt, graues quidem, sed interpollati, sęuities quidem indè pendet, quoniam robusta capita ut dictum est non nisi graui, atque præpotenti causæ succumbunt, raritas verò, quia frigus ambiens eadem exiccans capita, mox pituita manu ueluti quadam expressa in caput cogitur, si quando autem eo modo collecta, aut copia excellat nimia, aut caput ipsis minimè firmum sit, indè raritas affectus pendere probabile est. Quid, quòd ob easdem causas ij præter cæteros homines diutius uiuunt? Natiuus quippe calor in cuius substantia uita hominum præcipuè consistere uidetur, cum ob frigidum cęlum ad intimiores corporis partes secedat, ut sese ab occursu contrariorum uindicet, fortior se ipso disperso iam factus, haud frigescere, minusq; extingui, paucaq; admodum recrementa gignere aptus est, quibus contra se habentibus causis hominum uitam citò terminos suos claudere cuique experimento comprobatum est, frigus enim causa est quodammodo, ut diutius innatum calidum humido etiam connaturali misceri possit, attemperatur quippè, neque ita leuiter dissoluitur, prohibetq; quominus acredine nimia contracta humidum depopuletur, quod quidem haud facilè cæteris hominibus non in quacunque aeris constitutione degentibus contingere solet. Si qui autem eorum hominum ulceribus scatent, eadem minimè humentia sordidaq; erunt, minusq; praua, & curationi rebellia, paucioribus enim abundant recremen-

Vita in quo sit cõstituta.

tis,

tis, quàm cætera ſuperius enarrata, quibus cacoętica, atque maligna fiebant. Moribus denique ferinis potius, & præcipitis conſilij reddentur, quàm ſecus huiuſcemodi homines; fortis enim calor copioſiorem in ipſis bilem gignens, inde poſtmodum audacia, ira, & feritas quædam concitantur, quando placidus calor temperatuſque lenes potius, placabiles, beneque compoſitos mores producit. His itaque qui ſub eo degunt cęlo homines corripiuntur noxis: addere autem liceat, quòd ſi qua temporum continget mutatio, ex qua morbum quempiam uniuerſalem in eiuſmodi regionibus graſſari contingat, hiſce etiam hominibus eaſdem ob cauſas communem fore neceſſarium eſt. Mulieres necnon proprios quoſdam perpetiuntur affectus, quandoquidem ob male prorumpentes eoſque prauos menſes, (quod malum potiſſimum ex crudis incoctilibus, atque indomitis aquis ortum traxit) maior ferè earum pars ſteriles euadunt, quam autem ob cauſam, nouiſſe neque admodum difficile erit: epota aqua, indomita quippe quam neque venter, neque venarum alteratrix facultas euincere poſſit, pituitoſus fit, multoque ſero dilutus ſanguis, hic vterum pertingens, neque liberè ob frigiditatem ipſius acetabula conſtipantem permeare potens, fętui ſufficiens materies minime præſtò eſſe poteſt, ſique ſufficeret, minus etiam ad conceptum efformandum apta eſſet, quoniam frigida humidaque nimis: prætetea, cum in vtero vt coiret minus potens eſſet hic ſanguis, ſed ſtatim præ tenuitate efflueret, quid prohibet infęcundæ quin ſint mulieres? Quæ eædem aquæ eo in dies hoc malum augent magis, quò cum indomitæ ſint difficilius ob regionis algorem dulceſcũt: diximus enim

Sterilitatis quędã cauſa.

antea non omnes, sed aliquas tantum dulcescere: Quæcunque autem earum concipiunt, difficilè fœtus edere, vt plurimum coguntur suos, tum ob vteros frigore stipatos, cum etiam ob membranarum fœtum inuoluentium duriciem, fœtus quippe in vtero arctius complexus, veluti suspenditur; præter quod propriam ob imbecillitatem debiles nixus contendere possit, vt sese excludat, vnde sicuti facilis illi vt exitus pateat minime fieri potest, ita etiam haud facile easdem ob causas abortiri continget. Infantes autem natos maxima vi matres educabunt, quando non admodum præstò ipsis est idoneum quo alantur lac, tum ob venarum angustiam ad mammas pertingentium quibus lac demandari a natura solet, tum etiam ob ineptam lactis conditionem, serosi, scilicet, & frigidi: quia autem difficilè ob diuturnos, sed debiles nixus pepererant mulieres, inde etiam fit, vt sanguine, atque spiritibus ab impellente vi ad vterum transmissis ijsdem, vt opem ferant, pulmones qui & ipsi in huiuscemodi conatibus non mediocriter coafficiuntur, durioribus venis, atque natura siccioribus existentibus, ingenti illo conatu adhuc nimium extensi, quam earum siccitas patiatur, frangantur necesse est, unde postmodum tabes facillimè consequātur: quinimmò idem vterus lege quadam consortij per neruos cerebro consentiens, eo læso, nerui etiam totius corporis a quo ortum trahunt suum, quoquo pacto lędantur verisimile est, vnde non mirum si mox conuulsiones veluti suboriri contingat. Cæterum pueruli modò nati, vt qui in vtero prauo sanguine fuerant geniti eodemq; enutriti, suas etiam noxas pati coguntur, trudente siquidem natura quod in venis; crudum est alimentum infra tanquàm quid graue,

Cōuulsio ob vteri occasionem.

ue, & noxium, leui ex causa mox eius pars in scrotum colligitur & testes, vtpote aptissimas partes præ cauitate, & raritate substantiæ recrementa huiusmodi suscipere, vnde hydroceles, seu aquæ ramices fiunt, quod tamen malum augescente postmodum se puero, atque calore in dies acriori reddito, discusso quicquid in eo humidum fuerat, atque exiccato facilè sanescit. Est denique hisce regionibus proprium quiddam etiam, vt ob cutis mollitiem conniuentesq; meatus quos ob alimenti naturam, ab ortu contraxerant homines, necnon ob fumosæ exhalationis defectum quæ pilorum sufficiens fit materies, tardè admodum pubescunt. His itaque de locis regionibusq;, & ventis hactenus satis dictum a nobis sit. Modò eæ regiones, & loca adeunda sunt, quæ Orientem Occiduumq; Solem spectant, & primum quidem quòd ad Orientales attinet, eas videlicet oras, quæ hyemalem inter atque æstiuum nascentem Solem sitæ sunt, æquinoctiales scilicet, ita statuendum est, vt salubriores omnino hæ futuræ sint his, quæ Boream, atque Austrum spectant, atque ita salubriores, vt si stadij etiam interstitio Austrum versus ab Oriente tendāt, prauitate excellant omnino magis, quam si eodem spatio ab Austro Orientem versus aliæ recesserint, immò hæc quæ scilicet Orienti æquinoctiali sese vertunt loca, ijs quæ vel Boreæ, vel Austro sunt propiora, æstiuo scilicet, aut hyberno Oriente eligibiliores sint, quod vel eo argumento comprobari potest, quia cum longè, & æquè distent, tam a calidiori, quàm frigidiori cęli plaga, temperatiores eas fore verisimile est tum ijs quæ in calido, & frigido sunt aeris qualitatibus, cum etiam ob aquas quæ ex ijs locis scaturiunt; Orientem enim cum

Hydroceles puerorum.

Oriens æquinoctialis saluberrimus

ſpectent Solem, claræ, omnis mixtiónis tetriq; odoris cuiuſlibet expertes, cruditate omni immunes, molles, (citò enim & caleſiunt, & frigeſcunt) ad ſummam guſtui gratæ, atque omni ex parte ſuaues, atque iocundæ experiuntur: Sol quippe mane oriens radiorum tepore eas rarefaciendo tenuiores, leuiores, ac demum temperatiores reddit; Quando vires ſuas ad Meridiem vſque moderatè augendo, mediocritatem etiam in calefaciendo ſeruat, quæ quidem mediocritas tunc maxime aeri impartitur, cum matutina tranſegerit hora, ea enim temperato eſt frigidior, veluti cum Sol Meridiem attigerit, calidior iuſto eſſe ſolet, inde fit, vt qui eas vrbes, & loca incolunt, coloratiores, viuidioriq, quadã vultus ſpecie, maximeq; florido cõſpiciantur, ſi.n.tẽperatũ eſt cęlũ, ex eodẽq; tẽperata progignũtur corpora, qd mirũ ſi faciei color placidus ſit, atq; venuſtatẽ quandã pręſeferat? Color quippe cutis humorum naturæ nota eſſe ſolet, ſi quis autem fędus ſit ipſis fortè color, is affectui cuipiam diuturniori potius referendus eſt, quàm aeris conditioni: præterea, quia optime ex temperamento ſiccitateq; moderata eformata ſunt, quę uocem edunt inſtrumenta, inde etiam fit, ut uocibus claris, ſonoris, ſuauibus, minime autem raucis reſonent, nulla quippe inſita eſt illis ex humiditate inæqualitas, qua clangores, & raucedines illæ prodire ſolent: quod autem ad animi uires ſpectat, homines hi minime feri & agreſtes ſunt, minusq; facile ira concitantur, quod tamen proprium erat ijs qui Borealem incolebant regionem, quando ob cęli rigorem feri, ob coactumq; nimis calorem iracundi, hi contra ob temperatum cęlum placidiores ſociabilioresq; redduntur, cum ut plurimum animi mores

res

res corporum temperies imitari solent; itaque Orientales populi Borealibus nedum corporum, sed animi etiã præstantia nobilitateq; longè excellunt, perspicaciores quippe ingenio sunt & prudentiores, quod ex eo etiam comprobatur, quia cęlum illud perpetuum uer gignit; calor enim cum frigore, quia mediocritatem nactus sit, cætera etiam quæ ex eius temperie produnt meliora, quàm in cæteris regionibus produci necesse est, ex quo fit, si qui illis superueniunt hominibus affectus, eandem ob causam salubres sunt, citoq; exitum sortiuntur suum, quod minimum populis illis contingere solet qui Aquilonari regioni subijciuntur. Qui casus non longe etiam ab illis discrepant, quibus gens illa afficitur, quæ calidam incolit regionem, ob quandam uidelicet cęli, atque aeris inter se conspirationem. Insuper, mulieres fęcundissimæ degunt sub hac cęli clementia, facillimè conceptus gerunt suos, eosdem & in lucem edunt, si quidem natura temperatissimis, optimeq; constructis membris donatæ sunt, necnon humoribus aptissimis, quibus fętibus materies, atque alimentum suggeri possint, quibus quidem interdictas fuisse Septentrionales regiones iam antea ostendimus. Quod itaque ad præsentem orbis cęliq; tractum spectat, sat nobis in præsentia dictum sit. Vrbes modò petendæ sunt, quę Occiduum spectant Solem, quæque ab Orientali omninò aspectu ob montium altitudinem teguntur, siquidem alio se habent modo, prout aduersum etiam cęli situm sortitæ sunt. Quæ itaque Occidentem respiciunt vrbes & loca, quæque Meridionalibus ventis, calidis scilicet, atque frigidis Aquilonaribus, quique ab Vrsis deriuent non bene pateant, sed iuxta leuiter tantum spirent, maxime mor-

Occidua regio insalubris.

borum

borum feracia, vt sint necesse est: nam cum tempore, aereq; matutino prolixiori diuturnioriq; fruuntur (Sol enim tardè illis oritur) ob vaporum insignem copiam crassorum, qui noctu gignuntur, sursumq; tolluntur, nequeunte Sole eos ob ortum serotinum calore dissipare, atque in tenuiorem halitum digerere, sed aquis nondum rarefactis, atque a Solis radijs illustratis, immò quicquid tenuitatis, atque claritatis acquisiuissent vniuersum id ab opacitate vaporum adimatur, crassioresq; inde & prauæ reddantur necesse est, augent earum crassitiem, præter auræ frigiditatem matutinam, rores etiam dum æstate summo mane assiduò cadunt, ros quippe vapor quidam est qui a montana tantum, mediocri tamen frigiditate, imaque magis aeris regione, atque tranquilla tempestate potius quàm ventosa producitur, eo argumento, quòd nunquàm in editissimis montibus, atque infimam regionem superantibus ros visus est, clarissimo etiam indicio vapores illuc nunquàm perlatos fuisse, scilicet ob id solum, quòd mediocritatem caloris nacti, dum ferendo oneri calor impar est, prius vapores infernè liquerit, quàm sursum altius pertulerit: de tranquillitate autem hoc pacto ostenditur, quoniam si secus fuerit, sique ventorum vis ingruerit, necesse est, vt vapor eo agitatus, neque consistere, neque in rorem vllo pacto cogi possit, quo enim altior locus est, eo etiam ventis est opportunior. Aquis itaque rores hi dum permiscentur, quia ob vim nouam adhuc serò orientis Solis nequeant liquescere, prauitatem aquis etiam addunt & crassitiem: Sole autem Occasum petente, præ calore quo id temporis regio excellit, ob crassos vapores densosq; quibus aer scatet, quique in se ipsis conce-

Roris generatio.

ptum

ptum calorem diutius retinent, cum primum eum homines inſpirarint, veluti coquuntur, moxq; rarefactis corporibus, viribus ferè deſtituuntur, vnde pallentes, decolores, ualetudinarij, uarijsq; affectionibus obnoxij redduntur, idq; non niſi ob aëris inæqualitatem, quem mane frigidum, nocte autem aduentante calidum prodire ueriſimile eſt, cum maximæ temporum ſubitæ mutationes inconſtantes etiam morbos parere ſoleant, idq; uel ex eo confirmatur, quia recrementoſus impurusq; in fauces tractus, atque deinde in pulmonem delatus aer, inſtrumenta uocis aſpera inæqualiaque reddens, dum maiori egeat conatu, ut extra pellat thorax, rauci homines & clangoſi, vt fiant neceſſe eſt: non enim ea regio ex Aquilonaribus Meridionalibusq; ventis inſigne aliquod emolumentum ſuſcipit, quoniam præterfluunt tantum, leuiusq; ſpirant, neque aerem inquinamentis expiare poſſunt, nec mirum, quando humiditates ſiccitatibus plurimum morbidiores ſunt: cæterum, ſi qui venti flant hi Occidui ſunt, aquoſiſſimi, atque admodum crebri, quando ob Solis iugem motum minor vaporum copia, & exhalationum gignitur quam in Aquilonari, & Meridionali, quæ cum tropicos excedant, minus vapores diſcuti ob Solis longinquitatem poſſunt, eapropter vehementiſſimis ventis refertæ ſunt, Occidui itaque venti eandem præſeferunt naturam, quam Autumnalia tempora nobis impartiri ſolent, eam ſcilicet quæ eſt in calido, & frigido inæqualitatem, quod non aliunde prodire credendum eſt, q̃ ex diutina mora, q̃ matutinã inter, atq; ueſpertinã intercedit horã, ex qua frigidi, & calidi inęqualitas q̃dã emanat. Qui itaq; ſalubres, q̃ itidẽ morboſi uẽti ſint, hactenus dixiſſe ſit ſatis.

Raucedo vnde.

De

De aquis modò exactiori quidem diligentia, sed uniuersim quidem antea nulliq; regioni addicti uerba facere est animus, ut quæ bona noxasq; præstare nobis possint quis non nesciens, ad sanitatem comparandam prudenter uti sciat. A palustribus autem exordium suscipientes, & ab ijs quæ lacus stagnaq; constituunt, utque cæteris atque inter se altera alteri præstent, dicamus, has omnes æstate maxime squallida existente turbidas, crassas, praué olentes, putresq; necessario reddi, quandoquidem Sol præter quòd eas ueluti deurit, tenues etiam partes quia leuiores in altum tollit, quæ autem crassæ resident, tanquàm impuræ corrumpuntur, unde olidum ut spirent, acresq; fiant oportet, præsertim si pluuijs commisceantur aquis, quæ & ipsæ impuræ cum fuerint, prauum colorem illis impartiuntur. Adde, quòd statariæ, quia sunt palustres omnes, hyeme etiam morbosas fore necesse est, idque aliam atque aliam ob causam, rigido enim existente aere, ob contactum frigidæ maxime, & crudæ euadunt, immò cadentibus niuibus glacieq;, quibus ut permisceantur oportet, crassæ adhuc magis, & duræ fiunt: Qui itaque fieri potest, ut ingurgitatæ a naturali hominum calore superentur? tantum certè aberit, ut profuturæ sint, quin potius pulmones irrigantes, frigore, recrementosaq; crassitie pituita eos referant, atque constrictis mox uocis organis, inæqualibusq; factis, anhelosi, rauciq; homines inde euadant. Cæterum, nonnullorum affectuum qui ex harum aquarum assiduo potu gignuntur, alij cuique ætati, & sexui communes sunt, nonnulli alios pro ætatis, & sexus ratione præhendunt, ut plurimum quidem harum potores aquarum lienosi euadunt, causa autem hæc esto,

Aquę palustres prauæ.

Palustres aquæ, quæ affectus pariant.

quoniam

quoniam cum impuræ hę haustæ nigro qui naturaliter succo intra venas gignitur, & ipsæ permisceantur, crassiorque indè euadat; lienes qui natura laxi sunt, & ad excipiendum atrum humorem destinati, tanquam proprium alimentum eundem ad se trahunt, extendunturque leuiter; quare, sicuti facilis fuit illi in lienes aditus; mox cùm ad satietatem expleti sunt; præsertim si aluus minimè potens sit; haud parem admisso humori deinde exitum præbent; vndè obstructionibus præhenduntur; quæ in dies magis atque magis fouentur, quoniam quæ in venis copia assiduò crassi illius humoris colligitur pręsto ipsis est; cum itaque nouum amplius succum admittere imparati sint, intus qui iam receptus fuerat, dum retinetur incrassatur; magnique postmodum, duri, tactui renitentes, quandoque etiam indolentes fiunt: imi pariter ventres easdem ob aquas præ imbecillo natiuo calido flatibus repleti extendũtur, & tenues fiunt: alui quin etiam recremẽta, quia diutius cohibita sunt, ob bilis siccitatẽ, aut raró aut pauca admodũ & difficile excernuntur; addimus, quia prauè eo sanguine cum nutriantur corpora; squallidi, atque exsucci ferè homines fiant oportet, & contabescant; denique prospiratu impedito, quia corpora obstructionibus præhensa sunt; putrescãt humores, acremq; calorem concipiant necesse est. Dorsa quin etiam & pectora easdem ob causas illis attenuãtur; præmordaci enim calore colliquatione partium eo rundem nutritionem præueniente, quod diffluit vnà cũ melancholico succo circa lienem recipitur; vndè, si quid deinceps crassi humoris atque atri qui in ipsos ob extumescentiam duritiemque amplius suscipi nequierit, per vniuersũm corpus retrocedat, quia nutritioni

 ineptum

ineptum max. fuerat; siccum illud gracileque omninò reddatur necesse est. Eadem ratione idem niger succus auctus, os ventriculi per determinatas quasdam venas petens, humidumq; quod in ipso est exprimens valdè, ob acerbam quam retinet vim similem luctui morsum, & sensum quendam famis,& veluti speciem,atque iugē alimenti appetentiam, naturalis affectus similitudine tamen, excitat:aqua verò hausta, cum præ calore facta sit acris;membris penè humore destitutis, quia indè siticulosi valdè fiunt homines, humidū ut appetāt necesse est; atque arefactis uentribus superioribus inferioribusque; recrementa etiam vtrinque sicciora durioraque euadāt; quæ non nisi validioribus mox pharmacis educi possint homines etiam hi in hydropes facilè labuntur, si quidē, obstructo hepate vniuersi sanguinis opifice, atq; ex lienis consortio refrigerato etiam,innatum ob calorem & spiritus obrutos atq; ferè extinctos,serosi humores multi atque inemendabiles colliguntur, vndè tot malorum prouentu vitam pertęsi, tandem vt diem suum obeant necessario coguntur.Hi itaque affectus tùm hyeme,tùm æstate his familiares esse solent, æstate tamen proprio quodam modo eędem aquæ mordacitatem ob putredinem dum conceperint,intus in corporibus intestinisque earum partibus tennioribus exhalatis, diu præ crassitie moram trahentes,contactu carnes dum exedunt, vlcera pariunt, & dyssenterias: Pituita nec non ob calidum liquata,dum uentrem pætit atque intestina abluit, alui de in passiones gignit, & lyenterias. Superueniunt his & quartanæ febres, solito quidem diuturniores, siquidem retrocedente ut anteà admonuimus aliene melancolico succo (præ copia enim & visceris duritie vniuersus in
eo

eo haud recipi potuerat,) atque per corporis ambitum delato, caloris deindè ambientis vi accenſo, demumque facto putri, nõ mirum ſi quartanæ febres excitantur quę eo ſunt diuturniores, quò magis melãcholicus ſuccus aliorum humorum miſcellę expers fuerit, ex qua demum malorum illyade diu perſeuerãte, quis ibit inficias, quia naturalium partium calor maximè refrixerit, hydropes etiam excitatos iri? & hæc quidem de æſtiuis malis dicenda erant. Modò ad particulares hominum ætates orationem intendentes, dicimus; quod vigente hyeme, cùm partes corporis reſpirationi deſtinatæ frigore maximè offendantur, cũ uelint nolintue homines inſpirare cogantur, iuniores qui ſunt facilè in pulmonum inflammationes labuntur, hoc ſanè pacto; quippe membra ſpiritalia ab ambiente frigido cuius proprium eſt denſare, conſtringuntur ita, vt minus perflare, atque quod ipſis ſuperfluum eſt diſſipare poſſint; intus itaque eorum calor cohibitus, actuſque veluti per antipariſtaſim (eſt enim contrariarum inter ſe qualitatum actio quædam) collectum in pulmones recrementitium humorem quẽ ſuapte natura apti ſunt ſuſcipere, ſicuti & aſſiduo motu calefacere, inflammet neceſſe eſt; vndè pulmonia mox contrahitur. Simili modo quodam cùm ater ſuccus ſuperaſſatus atq; infrà propter obſtructiones excerni prohibitus caput ſurſum vi petat, eiuſdem temperamẽtum labefactans, mentẽ deprauat, vndè inſanos eoſdem atq; deliros, immo & furentes quandoque facit. Cæterum, ſenibus quibus aluus adſtricta eſt ob enarratas cauſas, præter quod neque difflari eorum corpora ſoleant; ſicci intus detenti humores, pituitæ permixti; ſalſaque inde reddita, facilè inflammationes concipit, ea propter ar-

Aetatum morbi.

Antipariſtaſis.

dentibus febribus quandoque corripiuntur, quod sanè iunioribus ob expellentem vim qua natura donati sunt validam, minimè contingebat: Mulieres non quia viris frigidiores humentioresque ut plurimum sunt, pituitosis tumoribus vndiq; laborent, & leucophlegmatijs probabile est; quando crassius frigidusque exuperans succus in ipsis passim progenitus, minimè ab innato calido uinci quiuerit; quin vt plurimum ob uteros quos indè adeptæ sunt frigidos, & densos non concipiunt; sanguis enim per eorumdem vasorum angusta ora permeare nesciens, nulla indè genituræ materies suggeri poterit; at si tamen eò peruenerit, is omnis & serosus erit, minusque ipsius generationi efficax; quare euanescat oportet, si fortè verò concipiunt, difficillimos partus sustinebunt, uteri quippè ab aquis illis crassis ueluti adstricti, haud facile extendi possunt, præterquod ob impellentē facultatem imbecillā redditam spirituūq; inopiā qui vtero demandari solent, nec non fętuum magnitudinem: seu tumorem potius (sunt enim aquoso humore progeniti, atque eodem enutriti) in atrophiam nati mox infantes atq; cachexiam leui ex causa incidunt, ob eosdem spissos vteros: fit etiam vt ex naturæ perscripto à partu mulieres minimè repurgentur; Quinimmo, pueruli qui fuere superstites, ob aqueum humorē quo maximè natura donati sunt superfluentem, in scrotumque paulatim delabentem, & inibi collectum, in hydroceles offendunt: Si autem adoleuerint ita, ut uiriles attigerint annos, qua quidem ætate melancholicus maximè vigere solet succus. Is præ pondere proprio ob superfluens corporis alimentum infra tactus, si crurum uenas nimium expleuerit, uarices gignit, turgidas scilicet, & tumentes.

tumentes. Si uerò ob ulteriorem coctionem acredinis quidpiam sibi comparauerit, uel flauę bili antea permixtus fuerit, in eadem crura extrà erumpens, cutimque exiens, vlcera malè curationem admittentia, cacoetica scilicet producet, ea denique est harum aquarum prauitas, vt qui eas diutius ingurgitent, senio ob praui sanguinis collectionem maturius præueniente, diuturniori vita haudquaquàm frui possint. Arbitrantur etiam mulieres sæpe numero se vtero gestare, cum tamen verè nō conceperint, ex eo enim decipiuntur, quoniam ob excellens frigus quod sanguis conceperat, immo & humiditatem, compatiatur vterus oportet, qui sensim prę imbecillitate coctricis facultatis aqua repletus, mox extenditur: existimantibus autem ipsis præfinitum pariendi tempus aduenisse (quando & affectus etiam licèt longi sint, suum finiendi tempus à natura sortiti sunt) fit, vt dum se parituras credant, vterus aqua dum exoluitur, pariēdi spe deceptas se cognouerint. Itaque cum deterrimæ sint palustres aquæ, tam eæ quæ pigro lapsu repūt, quam aliæ, multo autem magis quæ semper consistunt, quia pestiferæ; si quidem calore exitiosum virus eructātes, prauaque animalia gignentes, morbos dein sęuos atque cæcos producunt, nullum hominibus usum pręstare posse, sed omnino exitiosas læthalesque fore cuique persuasum esse credimus: stagnantibus hisce aquis prauitate inferiores sunt quæ ex saxis præcipites deturbantur; dum enim ex frigidissimo loco, obscuroque specu veluti, minimè aeri peruio excurrant, crudæ vt sint, duræ, frigidæ, admodum pituitæ productrices, quæq; difficillimè hypocundria permeent opus est, calor quippè naturalis non nisi maxima vi eas euincere potens est, Aquæ crudæ quæ.

prauæ

Aquæ medicatæ potui incommodæ.

prauę quin etiam erunt, si prope calidas aquas eruperint, calidas autē eas aquas intellectas iri volumus, quæ indè scaturiunt, quò prope ferrum, æs, argentum atque aurum gignuntur, genusque aliud metallorum, nec non sulfur, nitrum, bitumen, alluminosaque materies, & fossilium id genus quæ caloris vi infra terræ viscera coguntur, quandoquidem, tùm ob uiciniam ipsorum naturam referant necesse est; calidæ scilicet ut sint, humanoque potui aduersæ, tum etiam quia earum prauitas à calido digerente quod eorum erat tenue augeatur, ea propter incoctiles, æstruosæque nec non adstrictoriam vim prę seferent; indeque hominibus dysluriæ, præcordiorum extensiones, nec non excrementorum colluuies, aluiq; siccæ atque difficiles fient. Neque idcircò dixerimus salsas nitrosasque omnes aquas inutiles penitus fore, si quidem ut pro quottidiano potu à quouis effugiendæ omninò sunt, ita pro arcendis, quibusdam affectibus, & ipsæ aliquem usum prętare bonum posse suo loco demōstrabimus: esto itaque inter cæteras aquarum differentias eam primum in salubrium censu locum sibi uindicare, quæ ex fonte erumpat, qui longè in editissimos terreosque montes situs sit; perennis motus, aerique maximè patens; talis quippè omnis est saporis expers, pellucida, tenuis & iucunda; quæque vix quantulam vini portiunculam admittat quin in propriam assimilet naturam. At non eam omnem idcirco optimam esse dicimus; sed si præter hæc, interfluendo etiam æstiuum orientem solem, non autem quemlibet spectet; si quidem, licet omnes bonæ sint quæ eum nascentem prospiciant; cæteris tamen elegibiliores erunt quæ æstiuo præcipuè obijciuntur; cuius quidem præcellentis naturæ rationem

Aqua salubris quæ.

tionem vel hinc accipere liceat; Aestutum sol oritur, ob radiorum teporem aqua incalescit, indeque rarescit; sol enim diutius vires suas eo cęli tractu exercet, cùmq; in profundissimis terræ conceptaculis ea genita sit; æstate quidē quo tempore ob squallorem terra dehiscit veluti, subterraneumque expirat calidum, atque in externum aerem sese diffundit; frigidior aqua intus redditur; hyeme autem contrà, ob calidum frigoris circumsistentia intus coactum calidior fit; præterquòd minus crassi, & impermixti cum sint vapores, sed rariores qui in editissimos montes tolluntur quā humilioribus locis, aquæ etiam ex quibus gignuntur splendidiores, leuiores tenuiores iucūdioresque fiant necesse est; ab aeris enim externis iniurijs cum longè absint, minus etiam infici possunt: addendum est etiam quia incolæ ijsdem qui vtuntur inculpatè viuunt. Sequuntur has præstantiæ ordine quæ eum positum sortitæ sunt, qui æstiuum inter ortum est solisque occasum: dum scilicet orientem uersus excurrant magis; vtrarumque enim suæ est salubritatis ratio; nempè vt minus hæ quā superiores rarescant à sole atque incalescant; quando suis radijs minus eas ferit, ob aliquam situs scilicet obliquitatem; sicuti probitate his illæ fuerint adhuc inferiores, quæ inter æstiuum hybernumque occasum ad orientem tamen fluunt; quādo neque vt par est eam leuitatem atque nitorem a solis imbecilliori adhuc calore acquirere possint, sicuti antea enarratæ; quinimmò, crassiores aliquantò & crudiores sint oportet; inter omnes demum ab humano vsu aquę illæ arcendæ sunt, quæ ex fontibus manant, qui meridionales regiones alluunt; spatiumque illud cæli spectant quod orientem inter atque hybernum occasum iacet;

Salubritatis ratio.

Aquæ meridionales, improbatæ.

facilè

facilè enim austrinos flatus admittunt; immò longe in subriores sunt his quæ septentrionali regioni subiacent tum quia austrini halitus aquis illis permixti turbidas crassasque eas reddunt, quas sol bellè deinceps expurgare nequit; qua propter Auster dicitur caput sensusq; humanos grauare; tũ etiam ob vapores fontium ex quibus scaturiunt, quibusque maximè referti sunt qui suas illi qualitates interfluendo impartiuntur. Contrario aũt modo aquilonaris se habet aer, quia siccus, vaporisque exper cum sit, atque à ventis septentrionalibus vehemẽtissimè actus, nullam aquis turbulentiam impartiri aptus est, aut si qui fortè elati sunt vapores, hi minus quam meridionales crassescunt: hinc fit, vt si nõ salubres omninò aquæ hæ sint, saltem à meridionalibus prauitate longe superentur. In quarum quidem aquarum vsu, quilibet qui sanus esse uelit, in huius illiusve delectu neutiquam laborare debet, sed indiscriminatim ipsi quęuis, (modo neque palustris, neque cęnosa, atque admodum exitio plena sit, dummodo in potabilium censu veniat eligenda pro potu erit, ut scilicet eam quæ tunc cum siti vrgeatur ipsi præsto est, inguigrtet, neque eam qua plurimi utuntur reijciat, qui enim suæ spontis est nullis se legibus obligare debet, neque in secunda ualetudine aduersę præsidia consumere, ne si quando in id quod propriæ naturę contrarium est, fortè incidat, vehemẽter lædatur; contrà autem, si quopiam appræhendatur affectu agendum sibi erit, tunc enim quæ omnium optima est & salubris, in delectu ipsi ut sit maximè decet; quod enim lapsum à naturali est constitutione, à contrarijs pristino suo statui restitui opus habet: quam quidem determinationẽ exemplo apertiorem facere lubeat: Si cui aluus parum

Sanis nulla aqua sit in delectu.

aut

ruit ægrè excernit, ob eiusdem nempe squallidam intemperiem, is profectò si calidas crassasque aquas, pariter, si frigidissimas durasque hauserit, in maiora in dies uitæ discrimina incidat necesse est; quando si suaues, pellucidas, omnique externa praua qualitate expertes quas supra proposuimus ingurgitauerit, eas maximè ipsi profuisse experietur: quandoquidem, cum facile aquæ hæ alterationem suscipiant, citum etiam per hypocondria aditū habent; vndè, humecta facta aluo, nec diu in ea moram trahēte aqua, citatior redditur: contrarium aūt euenit ijs qui ventres molles, pituitaque refertos habēt; si quidem, à dulcibus tenuibusque hisce aquis sicuti magis offenderentur, (citius enim excurrerent, & aluum fluxibiliorem redderent) ita subsalsis, duris, atque frigidis uentres exiccabuntur; quia scilicet diutius ob earum crassitiē, atque constipantem vim quam à frigiditate conceperunt, in præcordijs & ventre moram trahent; ipsoque perfrigerato adstrictoque, siccior, minusque ad humores repetè excernendos idonea reddatur necesse est; contrariorum quippè affectuū cōtrariæ sunt medelæ; itaque salsæ crassęque aquæ suum etiam quendam in sanandis corporibus usum habent; proindèque haud omnino abijciendæ sunt: hinc fit, vt errore illi etiam arguantur, qui temerè salsas aquas etiam ob quamuis uel leuem occasionem epotant; quando minus earum facultates edocti, dum citatiores aluos reddituros se se crediderint, earū vsu obdurescant potius siccescantque, undè post modum proprię inscitiæ atque temeritatis pęnas luant. atque de fontanis aquis hactenus quidem sit dictum satis. Ad alias sermo dirigendus est, nempè ad pluuiales; eas nec non quæ ex niue glacieique resolutione gignuntur; cuiusque sint na-

Salsæ aquę non omnini abijciēdæ.

F turæ,

turæ,& quid in humanis corporibus progignant aperiẽdum; à pluuijs igitur exorsi, paulo tamen altius sumpto initio,tanquam ad ea quæ enarrare proposuimus maximè scitu vtilia,ac prope necessaria;dicamus.Cælum omne,atque in primis sol,dum uel propius ad terram accedit,vel ab hac longius abest;quorũ primo modo sursum tractos uapores resoluit,altero vero in vnu cogit,pluuiã gignũt;hoc sanè pacto: vapores enim cum ab ipsa aqua nihil differant præterquam raritate & tenuitate, (rarior enim quædam aquæ pars sunt,& tenuior) accedit tamẽ, vt dum vel ipsa terra, vel aqua quæ illi semper immixta est,ui calefacientis solis tenuiores reddãtur, ac separatæ sursum versus feruntur, alienam quandam naturam induant,propriamque exuant;nam,qui antea res quædam frigida atque humida erant,& prorsus aquea; mox reddũtur calidi, vel ob exhalationum miscellam:sed enim, dum paulò post perseuerant conscendere ijdem vapores,propriam adscititiamque amittunt caliditatem; nàm exhalationes summam regionem petunt, quæ igni est proxima; alteram autem quam ex inferiori aere cõceperunt, ex solis attritu vapores caliditatem ideo amittunt, propterea quod aer qui medius est inter supremã atque infimam regionem,omnis est subfrigidus,nempè ob calidarum præcipue causarum absentiam: non enim solis uis ob radiorũ refractum eò usque pertingere, minusq; elementaris ignis qui ipsi supereminet uim propriam impartiri possunt; quare uapores illic constituti frigescere iam incipiant, & pristinam recuperare naturam necesse est;atque ob frigiditatem etiam densati,sic in aquam iterum euadunt; quam tamen frigidiorem densioremque vaporibus esse certò scimus;quam ubi naturam acceperint,

Pluuiæ quo pacto fiant. Digressio.

rint,& in aquam prorſus abierint;in terram ſua grauitate deſcendant oportet; eæ qua ab iiſdem cauſis in ſublimi iterum vndè ortum traxerant ſuum, feruntur, atque illic eodem quo diximus pacto denſati iterum, & in aquam conuerſi, deorſum cadunt, idque aſſiduò,circuli ad modum fit. His itaque hoc pacto ſeſe habentibus, pluuiales aquæ,quæque ex æthere ſunt præcipuè, omni proculdubio cum ſui ortus naturam atteſtentur, leuiſſimæ,rariſſimę,maximeque ſuaues erunt atque pellucidę, quod quidē ita ſe habere uel ipſius maris exemplo manifeſtum fit; quod cum ſuapte natura ſalſum ſit, partes etiam dulces ſibi ipſi retinet; nam ſi quod uaſculum cæreum conficiatur, diligenterque anteà occluſis ipſius oſculis omnibus in mare proijciatur, ita ut marinis aquis non ſtatim recipiendis pateat; uidere tamen erit deindè non admodum poſtea, per certos parietes & poros humorem quemdam intus permeaſſe, illum quidem dulcem omnino, atque potui idoneum, quod non aliundè prodit, quam quia pars craſſior ac ſiccior terræque ſimillima anteà ingreſſum effugerat, & excolata foris reſederat, quæ cęteræ humiditati permixta cauſa erat inducendæ ſalſedinis, pari modo, dum ſol propria quadam vi ſurſum quod tenuiſſimum eſt, & leue trahit, in uapores conuertit,& demum in pluuias, quod ſupereſt mari craſſum, terreumque, ac proindè ſalſum ſit oportet; indè enim fit, ut marina aqua cæteris aquis craſſior ſit atque ponderoſior;aduſto quippè terreoque relicto, tenui autē exhalato;idem pariter in lacuſtribus, ſtagnantibuſque aquis contingit, quæ cum admixtum terreum quid habeant, ſublatis tenuioribus à ſole partibus, relictoque terreo aduſto & craſſo, indè homines ſales con-

ficere consueuerunt, nec mirum, cum dulcis etiam sapor ex non dulcibus rebus colligi soleat. Quid, quòd in omnibus humidis id contingit, immò etiam in corporibus humanis, quod tenuissimum scilicet est trahit sol; quod autem terreum, & crassum relinquitur? quam rē si quis euidentius nouisse cupiat; ponat quis hominem sub sole nudū omninò aliquibus tantum corporis partibus, cæteris autem indutum, quominus sol eas ferire possit; is, quacunque parte nuda sol radijs agat, omni prorsus sudore uacabit; ijs autem quas induerit, largo admodum sudore profluere conspiciet; quod non aliūdè prodire credendum est, quam quia partes humorum quæ in humano corpore tenuissimæ sunt atque à sanguine seiunctæ, quasque expellentis ui facultatis natura ad cutim propellit, solis calori cum pateant, in halitum atque tenuem qui sensum fugit uaporem resoluuntur; illæ autem partes quæ tegebantur, quia non ita à sole feriebantur, in aquarum guttulas, & sudorem conuertuntur, quantum enim à calore solis extrà efferebatur in halitum, tantundem retinetur à tegumentis quo minus in uapores digeri possit; qui idem homo si paulò post à sole in vmbram se receperit, uniuersas eius partes sudore madescere obseruabimus; quippè sol longè ab eo abest, nàm rationi maximè consonum est, vt qui laboribus fessi diù sunt, sudore largius madescant donec quiescūt; quam dum laboribus exercentur, fortis enim calor digerere quæ liquentia sunt potius quàm incrassare aptus est. esto itaque hinc satis probatum, pluuialem aquam quæ videlicet ex nube rara atque allisa prodit, ut paulò post declarabimus, tenuissimam, pellucidam atque suauissimam fore. Cæterum, cum tot bonis prædita sit, ne-

Pluuialis aqua solubris.

quę propterea omnibus numeris absoluta est; quoniam si diù asseruetur, facilè putredinem concipit, tetrumque spirat, idque aut propriæ substantiæ ratione, quia omnis qualitatis est expers; adde, quia ob raritatem facilem ad quampiam alterationem suscipiendam procliuis redditur; siue quia ob diuersarum materierum vaporosarum miscellam, quę ex uarijs terrarum tractibus atque aquarum differentijs à sole in altum efferuntur, impura redditur ut plurimum, quæ quidem densæ cum sint, obscuræ, & ferè noctem referentes, ob crassitiem à ventis inductam hinc indè eas collidentibus, si aceruatim fluxerint iunctasque inter se partes habuerint, pluuias; si sparsim, guttulas, exhaustisque demum pluuijs, nebulę fient; id scilicet, quod ex nube in aquam uerti minimè potuit, sed inutile fuit excrementum, & sterilis quædam nubes, quicquid autem ex ijs tenuissimum, atque à solis calore sursum detentũ fuerat atque elaboratum, id omne dulce est, & iucundum, si quidem, quæcunque coctionem admittunt, & mox percolentur, ob tenuium atq; crassarum partium separationem dulcia euadunt. Imbrium itaque aquæ, qui tunc fiunt, cum scilicet nubes à uentis allisæ, atque hinc indè uehementer concitatæ fuerint, optimæ & ipsæ sunt: eadem ratione si arte decoquantur aquæ efficianturque puriores; ita ut recrementosæ partes à subtilioribus, atque leuioribus sciungantur; sin autem, eædem seruatæ in uentrem recipiantur, præterquòd ob partium interse diuersarum miscellã, quęque contrarijs inuicem naturis agant tetrum odorem spirabunt, facilè etiam corrumpentur, & ueluti palustres anteà enarratæ aquæ epotæ raucedines, grauedines, nec non asperas, & clangosas uoces parient. Quod uerò ad

Imbres qñ fiunt.

Aqua decocta bona.

niuosas

niuosas glacialesque aquas attinet, eæ omnes natura deterrimæ sunt: actutum enim aqua in niuem & glaciem concreuerit, eadem ut pristino suo statui amplius restituatur impossibile est, quicquid enim antequam in niuē uerteretur, & glaciem, leuitatis, splendoris, suauitatisq; retinebat, dum à frigore transmutatur atque crassescit penitus amittit, exprimitur enim quod tenue est, crassum autem & turbulentum in sui ipsius substantiam reponit; Nix quippè in ea quæ omniū frigidissima est aeris regione gignitur, ex ampla scilicet uaporū mole, quod ostendunt temporum quibus fiunt frigiditates: præterquod ratio etiam suadet; quia cùm in nube calidæ exhalationis non nihil super fuerit, quæ uapores supernè sustulerat, id ipsum tamen in ulteriorem niuis congelationem non nisi ab insigni admodum frigiditate densari potuit. Rem autem eo pacto se habere ut diximus uel ex eo deprehenditur, quoniam si quis aqua ahenū certa tamen quada mensura expleuerit, eamque sub diuo emmittat, ita ut in glaciem uertatur, eandemque denuo frigore glaciatam alio quopiam vase sub tepore reposuerit, ita vt liquescat iterum, mensura hanc decreuisse ea antequam in glaciem concreuerit facillimè deprehēdet, quod non aliunde prodit quam ab aeris frigidissimi vi; qui quod crassissimum erat in vnum coegerat, tenue autem exiccauit atque in pristinum vaporem restituit: nam quicquid est crassissimum grauissimumque, ab externo frigore minimè amplius exiccari aut corrumpi, est aptum; quod in quocunque liquore depræhenditur etiam qui congelatione minuuntur, ea propter quæ ex niue, & glacie producuntur aquæ rectè diximus omniū esse deterrimas, sicuti easdem ob causas palustres, lacustres,

Niuosa aqua praua.

Nix quo pacto fiat.

Digressio.

ſtres,ſtagnanteſq; nec non fontanas crudas, & id genus alias nullũ humano potui vſum præſtare bonũ poſſe exiſtimamus. præter has, ſunt & magnorũ fluuiorũ aquę q̃ quidẽ eãdẽ, vnamq; naturã minimè retinẽt, cũ ab eodẽ fonte haud ſemper deriuent; ſed plures tum fluuiorum diuerſorum & fontium; tum lacuum & ſtagnorum aquas in eorum alueis recipiantur: fluuij quippè eandem naturam ac cæteræ aquæ ſortiuntur; ſola tamen duratione & multitudine inter ſe diſcrepantes; nihilominus eadem etiam principia vtrobique generationis fore cõſentaneum eſt; nam ſicuti cæteræ aquæ à frigiditate aeris in media regione quæ vapores denſabat fiunt; ita infra terram anfractus frigidiores reperiuntur, atque ab eodem frigore vapores in aquam denſantur; quæ mox in fluuium, & aſſiduo fluentem deſinunt; ſicuti autem pluuiales aquæ ad earum generationem maximè concurrunt; ita certè ſolas non ſatis eſſe credendum eſt; ſed prẹter has, aſſidua etiam ſub terram generatio aquarum exigitur; quod vel indè oſtenditur; quoniam ſub montium radicibus natura ipſa fluuios & fontes maxima ex parte in campos deducit; quibus vtriſque ipſa per ſe regio ſcatet; quoq; montes excelſiores fuerint, eò etiam maiores fluuij ac fontes deriuant; quod non ſine ratione euenit; cum montuoſa quæque loca & editiora in modum ſpongiæ aquas intra ſe vndequaque, etiam ſi eorum particulæ & pori minutiſſimi ſint, uaporum conſtipatione elidant; tum etiam aliunde quàm ob meatuũ amplitudinem aptiſſimè intrà ſe continere poſſint: ſi itaque fluuij, maximi præcipuè, ex multis aquarum collectionibus fiant; in dieſq; augeri ex affluxu diuerſorum [illegible]orum fluuiorum, fontium, lacuum atque ſtagnorum

con-

conspicimus; ita ut quodammodo ex multarum diuersarumque miscella tandem diuturno affluxu constituātur; meritò omnigenæ fluuiorum aquæ nuncupari merentur: sicuti & aliæ reperiuntur, quæ longè à fluminibus vndè ortum traxerunt transportantur; quas transuectitias rectè dixerimus: itaque fluuiorum aquæ haud eędem esse possunt, minusque inuicem similari; cum ex diuersis aquarum naturis constituantur, si enim calida in frigidam fluat, dulcis in salsam; alumminosa in dulcem; & huiusmodi cæteræ, uix fieri potest, quin altera aut qualitate, aut copia alteram superet, quousque demũ à uincente aliquando uniuersæ superentur non ne dum aut frigidæ sunt, aut calidæ, sordidæ, acres, & id genus uitij contraxerint, quas neque naturalis facultas euincere possit, infinitas prope modum noxas in humanis corporibus excitabuntur. præsertim si uenti quibus subiacent ob eorundem spirandi vehemētiam robur illis impartiantur, quandoquidem spirante borea, frigidiores, & crudiores, austro autem, calidiores crassiorue euadent; ita & decæteris existimandum erit, perspicuò autē earũm prauitatem quisque uel facilè deprehēdet, si easdē in uase quopiam seorsum reponat; nàm paulò post, sabulosum quid & luto simile crassum, tenaxque resedisse obseruabit, quid igitur mirum si epotæ ob crassam & sordidam naturam, frigidas, siue acres qualitates, in renibus naturaliter delatæ, liguato quod tenue est, crasso autem remanente, eorundem obstructiones, grauitates, sabulaque progignantur & calculi? in uesicamq; deinceps transmissæ, eiusque meatum ocludentes, vrinarum difficultates, stillicidia, nec non alio suo quodam modo, ob renum uicinam, coxendices etiam pariant,

Fluuiorũ aquæ omnigenæ.

moxque

moxque in scrotum transfusę, hydroceles, simileque id genus malorum procreēt? quod quidem uitium ab illis etiam aquis contrahi solet, quæ longè à fluminibus traducuntur, vt paulò ante dicebamus, quæ translatitiæ rectè nuncupari meruerunt, si quidem, præter diuersam quam sibi naturam seruant, si diu repositæ, longeque ab ortu proprio absint, facile vt corruptionem aut putredinem contrahant æquum est, quando ea esse solet dissimilium natura, vt mixtionem tanquam infidam societatem difficile patiantur, & sustineant. Nec propterea existimet quis hasce nos aquas omni prorsus humano vsui abnegaturas, quando, & nonnullis naturis minimè obfuisse comprobatum est aliquando, nam vt unico exemplo nostram hanc sententiam claudamus, si quis, à primo suo ortu homo aluo laxa præditus fuerit, vesica autem omni penitus labe immuni, ut neque angusto ore minusque inflammatione, aliaue noxa laboret, sed patens peruiumque illi os sit; aquæ hæ fluuiatiles omni genæque omni proculdubio huic homini minimo erunt detrimento, quoniam renes, & vesica propria cum sint natura humentiora, ab aquarum caliditate noxiū quid minimè patientur, minusque sabula in lapillos cogere poterunt, & proinde neque vrinę exardescere, sed liber lotio transitus sit futurus atque excrementorum, quando qui uentrem natura humidum habent, minus ægrotare solent; excrementa enim repurgantur: Quod tamē secus contingeret ut anteà dicebamus, si ventres, renes, atque vesica efferuescerent, quandoquidem occluso ipsius ore, detentisque recrementis, facilè in stranguriam, dysuriamue laberentur homines. Qui autem fiat ut ij qui vesicæ inflammationem ob aquas illas contraxerāt

Aquæ trāslatitię.

his noxis crucientur, non erit inutile aperuisse. Aqua crassa, sordida, sabulosaque epota, uesica repleatur, & unà cum ceruice percalescat plus æquo oportet; indèque cum ob stipatum os lotio minimè exitus liber sit, (exiccatur enim & proindè constringitur) quod tenue est per angustum facilè trāsponitur, quod uerò crassum sordidum est, & sabulosum, retineatur necesse est, vndè firmus eius calor diù agens in materiem, eandem cogit duratque, sicuti autem initio, quod cogitur paruum est, & veluti rudimentum futuri lapidis, ita progrediente calido vrente, materieque iterum superfluente, atq; intus paulatim colligente se, dùm in uesicam hac, illacque ob exeuntis lotij impetum paruulus ille calculus prouol uitur, excremento vndique oblinitus, in maiorem molem in dies augeatur oportet, quousque demum magnus lapis euadat: si quando aut contigerit, ut vi exeuntis vrinæ in uesicæ internum os defigatur, ubique ob materiei lentorem quæ in eiuscemodi affectu ut plurimum referta esse solet, diù consistat, præterquod lotij exitum prohibet liberum, propria etiam qua præditus esse solet calculus scabritie, nec non ob exquisitum ceruicis sensum, acerbissimos dolores dein excitat: cuius rei clarissimum pueri ipsi testimonium præbent, qui dū calculosi facti sunt, penis summitatem scalpere, trahereque nunquam ferè desinunt, existimantes difficilem mictum ob penis affectum prodire, quando neque calculo, minusque proprio quopiam affectu laboret; sed ob sensus acutiem, quo vesicæ collum præditum est, quoq; penis lege quadam consortij particeps fit, noxam suscipit. Cuius quidem affectus rationem si quis apertiorem fieri optauerit, calculosos homines animaduertat intueatur-

Lapidis vesicæ generatio.

tueaturque, quos pellucidam maximè, & ad instar seri vrinam meiere deprǽhendet, quod non aliundè prodire credendum est, quam quia quod sordidissimum est, & maximè quid tenax bilique permixtum ob viæ angustiam intus in vesicæ cauitatem detinetur, & in lapidis molem mox augetur, tenueque & omnis mixtionis expers quod superest, & album foris profluit. Neque propterea necessarium adeo hanc esse causam affirmauerimus, quin calculos ipsos ab alijs etiam occasionibus prę terquam ex impuris ebibitis aquis concrescere minimè abnegemus, lactentes enim pueruli, & ipsi suo quodam modo lapides in vesica gignunt, quamuis impuras nunquam aquas hauserint, si enim lac ex nutricum vberibus acre, & biliosum ex suxerint, eodem etiam in vesicam delato, lotium veluti exardescet, cuius iugi contactu uesica etiam percoquetur, lactisque prauitate in dies magis aucta tanquam calculi materie, eodem quo supra diximus modo facile concrescere in lapidem poterit. Quo circà vt ab hac noxa pueri uindicentur, (vt hoc etiam obiter subdiderimus) prauo nutricum lacti interdicere tutius est, quàm eodem perseuerare; cuius vices aquosum vinum maximè tenue atque album suppleat, nàm, præterquòd tenue vinum per vesicam transponi facilè aptum est, minimum etiam ex eo materiei lentor colligetur, minusque vrinæ viæ arescent, & proindè gignendis calculis omnis penitus occasio auferetur. Mulieres verò cum & ipsæ quãdoque calculum contrahant, alio tamen atque alio modo se habent ac pueri, sicuti enim hi vesicæ collum scalpebant, contrahebantque penem; has neque trahere, minusque scalpere posse conspicuũ cuique est: quippè, vrinæ viæ recte lataeque cum ipsis à

Lac prauũ calculos gignit.

Præcautio à calculo.

natura ſint efformatæ, non autem vt in viris obliquæ atque anguſtiores, veſicæque collum illis breue admodũ ſit & amplum; fit hinc, ut impellente natura lotium, facilius, citiuſque exitum reperiat ſuum, paruamque ibidem trahente moram, exiguo etiam dolore vexentur: adde, quòd bibaciores cum ſint mulieres, quia iam in ætatem adoleuerint, & copioſiori potu indigent quã pueri, plus etiam vrinæ colligunt, quæ poſtmodum in veſica detruſa, ibidem item collecta, confertim magis præ copia, & in præceps ueluti extra fertur, & ſi quid ſabuloſum immixtum erat, vnà ſecum trahat: vndè doloris ferè occaſio aufertur omnis. Aquarum itaque naturam hoc pacto ſe habere, aut ſimili quodam modo, noſtra eſt ſententia.

De anni tempeſtatibus agere modò eſt tẽpeſtiuum; quando dum hoc alioue conſtituatur modo, quis hoc capiat commodi ſciuiſſe, vt facilè quinam futurus ſit vniuerſus annus, nùm morbis ſcilicet obnoxius, an non ſalubris iudicium ferre poſſit. Quandocunque anni partes, & tempora, quæ iuxta ortus ſyderum atque occaſus circumſcribuntur, ſuam moderatè naturam ſeruauerint eum annum ſaluberrimum futurum ſperandum eſt, tũc autem maximè anni tempora erunt moderata, cùm autumnus (vt ab eo exordium ſumamus, qui ante propriũ æquinoctium, ab Arcturi ſcilicet exortu initium ſumit ſuum) qui natura frigidus ac ſiccus eſt, quandoq; etiam pluuius ſit; ob id enim temperatior redditur, quando ne ob æſtiuum ſquallorem anteà reſoluta corpora factaq; imbecillia altera adhuc ſiccitas ſuperueniens eadem malè afficiat: Hyems autem quę ipſi proximè accedit, in frigiditate, & ſerenitate mediocritatem ſeruauerit (nimium

Autumn' ſalubris q futurus ſit.

Hyems ſalubris.

mium enim frigida plurimum obeſt, ob innati calidi offenſam, ueluti tranquillitas ſi modum exceſſerit vnà cũ naturali frigore ſuo minimè conſiſteret) inutriſque inquam ſi medio modo ſe habuerit hyems, ſalubris futura eſt: Ver deindè atque æſtas neque pluuia admodum ſint oportet, cum enim ver natura temperatum ſit, ob moderatas etiam pluuias eandem ſeruabit naturam, veluti æſtatis ſquallor ſi ob eorumdem madorem attemperetur, annum vniuerſum maximè ſalubrem futurum exiſtimandum ſit, præcipuè ſi mutationes hæ inuicem ſenſim fiant, quæ enim repentè ſuperueniunt, ut plurimum morbos parere anteà diximus. Contrà verò morbidum annum timere oportet, ſi hyeme ob aquilonem ſpirantem vehementer facta frigida & ſicca, ver pluuium, meridionalibus ventis actum, calidum ſcilicet, & humidũ fuerit. Tunc enim quàmuis in uere ob exiccata antè in hyeme corpora morbi generatim pro temporum ratione minimè expectandi eſſent, quando ob ſuperaccedẽtem humiditatem aliqua potius ex parte iuuabitur, ad naturalem ſcilicet rediens mediocritatem, nihilominus, ſi plus quàm decet humidum fuerit, tunc in contrariam conſtitutionem, proinde & morbidam corpora ducerentur, æſtateque ſuperueniente repentè calida & ſicca, humidioribus anteà redditis humanis corporibus, nec non terra ob antegreſſum ver madida reperta, humores intus ueluti a calore obruti facilè putredinem contrahent, vndè mox putredinoſæ febres producentur, repletiſque ab anteacta humiditate præter cæteras corporis partes etiam capitibus; ſi contenti iam in eo humores, colliquatique oculos petant, (dũmodo valde firmi non ſint, & fluxionibus ſuſcipiendis minimum reſiſtãt,) lippitudi-

Ver temperatũ eſse oportet, & æſtatem, vt annus ſit ſalubris.

Morboſus annus qui futurus ſit.

Morbi qui eueniunt.

lippitudinibus homines vt plurimum vexabuntur. Præterea; cum ob præcedentes corporum humiditates cerebra intestinorumque substantiæ laxæ flaccidæq; factæ fuerint, nondumque à repentina temporis mutatione exiccata, pristinoque statui restituta confirmataque, capitis fusis humoribus, atque ob putredinem acribus factis, nedum antedictas lippitudines putresque febres, sed eas acutissimas, nec non lyenterias; immo & temporis tractu dyssenterias, ob eosdem se se ad intestina deturbantes humores fieri rationi maximè cōsonum erit, quibus affectibus mulieres præcipuè erunt obnoxiæ, cęterique omnes, quorum corpora alijs humiditatibus, multiplicique referta fuerint pituita, quando facilè ea corpora alterentur ab illis excedentibus causis, quæ inter se naturæ similitudine conueniunt. Quorum quidē morborum exitus, nō anteà sperare licebit, quàm ethe-
Ethesiæ q. siæ flare inceperint, sunt autē ethesiæ venti anniuersarij, qui post æstiuas versiones & orientem canem primū spirant, cùm scilicet sol neque propinquior neque nobis admodum distans fuerit, remissioremque caliditatē retinuerit, præsertim cùm montanæ aquæ & niues liquescere incipiunt, terraque humescere: eam enim mox ita affectam atque veluti turgentem solis calor etiam mediocris cum offenderit, facilè in uentos quos ethesias diximus coget, idque interdiù tantum, quando scilicet nimium eliquationes tunc maximè vigent, quarum inopia nocturnæ ethesiæ minimè gignuntur, quæ cum certis quibusdam anni temporibus fiant, ea propter ethesiæ, anniuersarij scilicet dicti sunt venti. Quàm primum itaque ethesiæ hæ spirauerint, vehementioresque fuerint; præsertim si circa canis ortum pluuiæ aduenerint, fini-

turos

turos eos affectus ſperandum erit: ob eam enim humiditatem æſtatis ſquallor ſuperabitur, & etheſiarum frigiditas eiuſdem feruorem euincet; futurumque demum eſt, ut autumnus æſtati ſucceſſurus maximè ſalubris euaſurus ſit; corpora enim non admodum præ calore exuſta ſuſcipiet. Quòd ſi poſt pluuias etheſiæ non flauerint, in maiora pericula mortales ducerentur, ſi quidem, pueri mulieresque ob præcellentem naturalem recrementitium humorem, aucta dein ipſis ob pluuias humiditate, præ concepta putredine, ex quaq; vel leui ocaſione uitā cū morte cōmutabut, minimū aūt ſenes; ſi quidē ſicci cū ſint, & naturaliter frigidi ſatis apti erunt vt putredinoſæ cōſtitutioni reſiſtāt. Si qui aūt pueri, ſi quę mulieres erūt ſuperſtites; vitę exitum quartanis febribus cōpenſabunt; mox hydrope aquoſa facilè corripientur: Quartanæ quidem ſuperuenient, ob tenuiores antea, exhalatos ſuccos; quod enim craſſum atque fęculentum & ſiccum ſuperfuerit, putreſcenſque, quartanas febres gignere aptum maximè erit. Demū imbecillo ex ijs febribus naturaliū viſcerum facto calido, aquam ueluti pro ſanguine progignente, hydropes facilè expectari poterunt. Contra uero ſi hyems humida fuerit & auſtralis; tepida ſcilicet clemens, & pluuia; uer autem non quidem quale antea deſcriptum eſt, ſed aquilonium, frigidum, ſquallidumque; hæc mala uere ipſo contingent, fęminæ præcipuè quæ vtero geſtabunt, ſi vere parituræ ſint, quia imbecilles natura ſunt; tempeſtatis huiuſce inclementiam ferre minimè poterunt; ſed concitatis ob prægreſſam hyemem trāquillam uerisque repente ſuperueniēs frigus, capitis aliarumque partium deſtillationibus ijſdemque in uterum prolabentibus, præ mollitie uinculis laxatis, abortiri facil-

limè

limè continget;non enim poterant tanto labore fęminæ in statutum usque à natura pariendi tempus sufficere. quamuis fętus & ipsi ob calidi inopiam facti imbecilles; qui quidem calor iam ambiẽtis aeris ui diffusus erat;quã do diu materno frui calido assueti fuerãt; à frigore mox repente perculsi,aut imperfecti mortuique edentur; aut si forte etiam eousque gestarentur; ob laborem inter exe undo à materno utero perpessum, nec non maxima in contrarium statum mutatione;aut in ipso partu,aut paulo post interire ut plurimum coguntur: & quamuis non quisque existimauerit ex repentino frigore ambientis aeris adeo in communi hominum vita refrigerari uterũ, ut indè fętus interimatur, quando in frigidis regionibus & tempestatibus non idcircò nuper nati infantes citius quam qui in utero sunt emoriuntur:attamen non leuem alterationem indę eos suscipere, quæ necem potius quã salutem properare possit,nemo ut credimus ibit inficias. Sat fuerit,ut si qui eorum forte euaserint,exiles, lãguidi, facilesque ad morbos excipiendos reddentur; si quidem ob properatum editum debiles cum exierint in lucem; imbecillè calidum haud bellè eos enutrire potens erit. Cæteris autem mortalibus cõmuniter prout hoc vel illo modo fuerint dispositi & ætate & temperamento,ob humorum à capite defluxum,oculorumque uiciniam; lippitudines siccæ,diuturnæ ob borealis flatus acrimoniam qui pituitæ admiscetur, facile superuenient; eãdemque materies si in pulmones se receperit(quia acris facta est) aut suffocationes, aut peripneumonias, aut tabes producet:demumque si intestina pertinget,ibidem tormina & difficultates,mox & vlcera ut contrahantur facile cõtinget.Quod quidem vt distinctè magis, immo & cumu

latius

latius quis assequatur, particularium affectuum quorundam rationes explicare minimè grauabimur. Quod pituitosa quidē corpora ut mulieres certè sunt difficultatibus intestinorum capiantur, vel hinc facilè intelligitur; quoniam deffluente, ipsis genita iam ex capite pituita, acri autem salsaque ob hyemis caliditatem atque humiditatem reddita, in intestinaque deturbata, eadem ut abluat, moxque abradat oportet: qui autē bile referti sunt, nec non pituita quæ ex aquilonari frigore acredinem contraxerit (boreas quippè mordax est) in oculosque ijs succis susceptis, siccas lippitudines ut producāt existimādū erit; prohibet enim externa borealis siccitas quo minus quia oculorū meatus stipat, quid extrà humidi profluat, hincque diuturnitas emergit: qui autem in vltimo senio constituti sunt homines, humorum defluxibus à capite per venas præ humiditate laxas redditas flacidasque, in partes infernas facilè tentantur. sicuti igitur ob naturalem imbecillitatem partes hæ fluentem humorem suscipere promptæ sunt, ita si idē detineatur in caput diù, nō autem fluat, non nullos in apoplexiam trahet, paucoque dierum spatio interimet; alijs verò pro alia dispositione impactus in neruos aut dextri aut sinistri lateris, sēsu eos primum, deinde motu etiā destituet; vndè semisyderati efficientur. Hinc desinant mirari homines, si caliditatē atque siccitate æstatis repētè superueniēte, ob percoctos hosce fusosque humores, alui fluores etiamnum gigni obseruauerint; si quidem præ nimio humore haud bellè statim potuerunt exiccari; sicuti si ob humorum copiam innatum calidum obruentem ueluti, præcordiorumque dein imbecillitate succedente refrigeratis; nec non ex iugi humorum illorum affluxu calor deinceps insitus in- Ratio affectuum.

H con-

concoctum sanguinem gignat; cui aquosi hydropes post modum necessariò succedant. Cæterum, si æstas, subsequensq; autumnus austrinis ambo flatibus, pluuijsq; abũdent; calida scilicet & humida vt sint, (erunt quippè prę ter naturam ualdè constituta ea tempora) quæ succedit hyems nil prohibet quin morbosissima futura sit (æstas enim & autumnus simili temperamento prædita, cũ corpora laxa, atque expirãtia maximè reddant, minime fortasse humanum genus morbidum fecerant; si quidẽ pluuiæ utriusque squallorem frangere aptæ sunt) superueniente enim proprio aeris rigore; cõstipatisque anteà quæ reserata erant corporibus, quia recrementa difflare nequierint, intus iam concepti putrescere coguntur; undè causones mox fient; non quidem ex accensa bile, sed qui ex salsa fiunt; eam enim peperisse potuit humida prægressa iam tempestatum constitutio: ijque non omnibus corporibus, sed ijs tantum superuenient, quæ aut ætatem agent consistentem, aut quadragesimum transacta annũ in uiridi erunt senecta: ætates quippè hę pituitę plus, quã bilis feraces esse solent plurimum, pręcipuè ob pręgressã humidam constitutionem: secus autem iunioribus continget picrocholisque: quoniam & pleuritidinibus, & peripneumonijs, talisque huius generis inflammationibus easdem ob causas facilè corripientur. æstas verò sicca, & aquilonaribus uentris obnoxia si fuerit; autumnus autem australis & pluuius; calidus quippè & humidus; hyeme tamen suam naturam seruante; capitis dolores, eiusdem & sphacelos seu corruptiones, nec nõ tusses, & grauedines expectare oportet: quandoque & phtyses; quando autumnus minime morbidus futurus sit, quia adscititia humiditate morbos qui ob æstatis squallorem

geniti

geniti forent, attemperauerit; quorum affectuum causa vel hinc pendet; si quidem, qui humentiori sunt tempe- ramẽto prçsertim; caputq; repleuerint, & materies ibidẽ consistant; frigido mox superueniente cęlo, nequeũtibus inde exire, atque in halitum digeri; intus detentæ, caput extendant, ac proinde dolore afficiant necesse est; dein- ceps, prę calore adscititio intus concepto auctoque, acri- bus factis ijsdem humoribus, cerebrum veluti exędant atque corrumpant probabile est. Si qua autem eius pars à capite in subiectas partes exprimetur, ita ut in fauces & pulmones irruat; illis tusses irritabit & raucedines; his uero ob visceris assiduò se se mouentis naturam, cuius vi adhuc percoquitur magis, phtyses suboriri continget; non autem omnibus corporibus, sed his tantum quæ si- milem affectum suscipere apta sunt; ea nempè quæ præ- ter assiduum capitis defluxum, angusto etiam thorace, latis nec non humeris natura donati sunt, quos homi- nes πτερυγώδεις, seu alatos nuncupare soliti sumus. At, si borealis, frigidus, siccusque magis fuerit quam sua natu- ra expoſcat autumnus, minimumque sub canem, in me- dia scilicet anteacta æstate ad Arcturi usque ortum plue- rit, quo potissimum tempore autumnus incipit, & bene, & malè etiam non nulla se habebunt corpora, benè qui- dem quæ humentiora erunt, vt mulieres, quæ tantum ab est vt ab hac constitutione offendãtur, quin potius emo- lumentum non leue percepturã sint, quãdo ex calida siccaque æstatis temperie prægressa, atq; autumni squal- lore attemperabuntur, immò hyeme aduentante, con- strictis licet à frigore eorum corporibus, & minimum perflantibus, putredini minus erunt obnoxiæ, quoniam anteà exiccata fuerant eorum corpora: senes tamen sem

per excipimus, qui quàmuis humida congerant recrementa, frigidi tamen & ſicci ſunt temperamenti: ea propter à ſimili aeris temperie nimium offenderentur. Deterrimè autem omnium ſe habebunt corpora picrochola, ſi quidem, autumnale frigus ferè inopinatò ſuperueniens, exprimenſque quod tenue, aqueum, humidiſſimumque eſt ſanguinis, craſſiſſimis autem & acerrimis derelictis, nec non maximè reſiccatis exiſtentibus corporibus, quàm primum in oculos defluant, & fauces, eorumdem inflammationes, lippitudines ſiccas, grauedineſque curatu contumaces, (cutis enim ob frigus ſtipatur) nec non ſi quando fortè putruerint, acutas etiam febres excitabunt, & prout craſſior, acutiorue fuerit humor; eò diuturniores, breuioreſue euadent. Fient demum melancholiæ, & maniæ, cùm primum ſcilicet idē cohibitus ſuccus craſſus exuſtuſque ſanguis citra tamē putredinem cerebri temperamentum labefactauerint; hac enim præcipuè temporis conſtitutione dulcis humorum pars abſumitur. Iſthęc itaque & ſimilia, ſi quis prudens medicus inuicem circa anni conſtitutiones cōferens mente reuoluat, facilè prædicens quæ bona, quæue mala mortalibus affutura ſint, nihil quod illis ad pręcauendum futurum ſit non ſciens, id commodi etiam ſibi capiet, ut audentius homines ægri dum fuerint ipſi cō mittenteſſe ſe, nullibi deinceps opera ſua fruſtratos iri comprendentes, ingentem in ſanandis corporibus gloriam ſibi comparabit. Vt autem adhuc tutius morborū curationes agantur, ſubitás maximáſque temporū mutationes quę ex ſyderum ortu atque occaſu, nec non ſolis ſtationibus atque conuerſionibus conſtituuntur, cauere debet, ſunt enim hominibus aduerſiſſimæ, ob ſubi-

Temporū ſubitæ mutationes cauendæ, in corporum medicationibus.

tam

tam quam parere solent calidi in frigidum, aut frigidi in calidum mutationem: in hisce enim constitutionibus si fortè fortuna uolens quis, & lubens purgans pharmacum quodpiam audentius exhibuerit, præterquod calidum est suapte natura pharmacorum omne genus purgantium, tùm ob aeris caliditatem corpora vehementer exoluentem; tùm etiam ob frigus humores cogens, ineptosque eductioni reddens; naturæ humanæ erit infestissimum. Quando turpis est calamitas medicamento expurgante hominem ocidisse, eodem pacto cum mẽbra aut secet, uratue, præsertim si ad ventrem sectio pertineat, quæque iecur, cerebrum, cor, pectusque consentientia habeant, nisi maxima cum præ meditatione, ingentes in ægros mutationes obseruabit, imò eosdem in maxima pericula adducet: consultius itaque erit eo tempore corpora quieti permittere; si quid tamen eorum moliendum erit, decem dies saltem; aut plures, haud minus tamen quam decem, quo tempore natura se ipsam colligat, expectare oportet, longius enim quo absint aeris mutationes, minores etiam noxas ægris allaturas fore sperandum erit. Inter cæteras autem cęli mutationes, profectò solstitia, solisue conuersiones maximum corporibus detrimentum afferre ob subitas aeris ex quibus gignuntur alterationes experimento comprobauimus; Inter quas quidem æstiuam magis noxiam experiri cõtingit quam hyemalem, humentiora enim iam in hyeme ac uere reddita corpora, intusque ob ęstatis superuenientem feruorem fere exusta, humoribus indè accensis, acuti affectus vt producantur necesse est. Inter vero solis stationes seu æquinoctia, quando, ambo periculosa existimantur, autumnale perniciosissimum est; si quidem,

dem inæqualis autumni constitutio, quia ob æstiuum squallorem anteà corpora viribus ferè exhausta excepe rat; prauos affectus producere solita est, quæ quidē mala minus verno æquinoctio contingere solent, quando ver ob transactam hyemem corpora suscipit robustiora, minusque naturali temperie ijsdem officere est paratum. Inter syderum autem ortus, & occasus, (vt de ijs tandem sermonem absoluamus) quando deceat omnes quidem animaduertisse; Canis præcipuè ortum dein pleiadum seu vergiliarum; mox & Arcturi occasum cauere oportet; cùm ex his vniuersi anni temporum mutationes, excessus, constitutionesque uentorum metiantur ex quibus morbi hominibus contingūnt, circaque principia eorumdem temporum, & fines affectus iudicētur. In canis quidem exortu, solis uapores accendi summopere cōsueuisse, sicut pleiadum occasu hyemem; Arcturoque occidente vehementissimas tempestates oriri, quis ignorat? quo circa, si qui sint periculosi affectus, necem, si qui uero salubres, tardam salutem hominibus pollicētur, aut ab uno in aliud morbi genus transeunt; idque morbida quàm sana corpora magis experiuntur; cùm paratiora alterationibus proximioraq; sint. A medico itaque isthæc, & similia diligenter animaduertenda erunt, & de his quidem hactenus.

Quod superest modò, de regionibus, & primum generatim quidem, aliquo modo, quatenus scilicet hunc vel illum cęli tractum sibi nactæ sint, atque altera alteri quo nàm præstet differatque, mox singillatim de non nullis tantum disserendum est; earumdem siquidem si quaslibet partes, quæ videlicet sint earum gentium proprietates ac differentiæ prosequi velimus, in immensum

nimis

nimis oratio excresceret. Sat itaque fuerit, potiores tantum, quonam scilicet inter se differant, quidque de ijsdē sentiamus admonuisse. Ex cęli varijs dispositionibus, cū vario modo regiones afficiātur, varias etiam hominum conditiones emergere indè necesse est, quod quidem nouisse pro eorumdem valetudine conseruanda, affectibusque arcendis, quanti referat medico, res ipsa probat.

Ab Europæ autem Asiæque positu; vt scilicet inter se natura cęlique temperie conueniant discrepentque, quibusque earundem populi corporum speciebus inuicem consentiant, nulla vt in re penitus differant; auspicari lubet. Primum itaque dicimus; Asiam Europę ipsi præstare plurimum cæteris omnibus tum præcipuè hominum naturis, cęterisque rebus quas solum producere solitum est; quando longè procerosiores, aspectuque iucundiores sunt. Insuper, præter regionis cęlique illius eximiam temperiem iucunditatemque: Asiatici etiam homines māsuetiores, beneficētioresq;, & moribus cultiores longè sunt quam Europei; cum enim regio hæc orientē vernum spectet, qui medius exactè situs est æstiuum inter atque hybernum solem, quousque recta occidētem versus tendat, quam oriētis solis tepor fouere statim petest; ac proindè splendorem tranquillitatemque aeri impartiri; minusque frigore algeat; quia longè àb aquilònari plaga distat, quid mirum si quæ gignit cūque ob moderatam temperiem venustiora sint & iucunda magis? quinimò, quæ inibi producuntur omnia cito incremento, magnitudineque alia superent, atque homines naturæ placabilitate cæteros excellant; temperatę quippè hominum constitutiones ad incremētum corporisque de-

corem

corem comparandum magnas partes conferunt. Asiatici itaque populi nostris Europeis procerosiores speciosiores, mansuetioresque producūtur: Neque idcircò vniuersam Asiam cęli hac clementia frui dicimus, vt cęteris scilicet uniuersi orbis regionibus fælicitate præstet; sed ea tantum parte alijs omnibus iucunditate atque rerum præstantia præferendam esse, qua solem prospicit temperatum, ut paulò anteà adnotauimus; quando neque gelu algeat, neque squallore arescat; aquisque prauitate expertibus scateat; tàm ijs quæ à solo scaturiunt, quam quæ ab Aethere cadunt sed mediocriter tamen; nec non arboribus, cæterisque plantis ob agrorum feracitatem, atque vbere alimentum refertissima est. Humiditate autem idcircò fruitur mediocri, tùm quia ab austro quoquo pacto perflatur, (parum quippè ab est à meridie, etiam si in septentrionem tendat) qui natura humentior est; tùm etiam quia crebris niuibus quibus euanescentes terræ spiritus cohibentur, purumque alimētum præstant, atque aquis irrigatur, addimus, quòd aquilonaribus flatibus etiam suo quodam tempore pateat; hinc itaque fit, vt siue sponte sua plantæ oriantur, siue transpōnantur; tùm siluestres, tùm cicures, quæ humano vsui esse possint, siue quæ feruntur cærealia semina, præ humido temperato tamen aere maximè augentur. Nec nō multiplici atque vberiori copia horarij fructus producantur, immò prout varia est hominum industria, ex siluestribus quæ antea fuerant plantæ transpositæ facillimè domesticæ euadant. Iumenta quinetiam & pecora bellè cùm alantur, ob nutrimenti vbertatem optimè degunt, indèque fęcundissima etiam sunt; præter enim crebros quos edunt fętus, eosdem etiam satis commodè alunt.

sunt. Homines pariter firma valetudine fruentes, formosissimi, omnique ex parte absoluti nascuntur; nihiloque inter se ob debitam elementorum mixtionem, atque partium commoderationem forma discrepantes; præcipuè autem corporum proceritate, qua quidem cęteros eadem ratione solent superare; Quæ enim à temperatissimo, fouentur Cęlo, inuicem etiam in ijs quæ à temperamento prodeunt qualitatibus proportione sibi correspondeant necesse est. Ad summam, cùm ea regio ad veris naturam proximè admodum accedat, quod tēpestatum omnium est temperatissimum, indè tot bona ex ea prodire rationi est consonum. Cęterum, quòd ad animi mores spectat; cùm ij præter educationem præcipuè temperamenti proprietatem consequantur, homines hi neque magni laborum affectatores, neque eorūdem patientes, non audaces, non prompti nisi mediocriter, minus feri, atque haud iracundi esse possunt vt Europęi sunt, quas quidē animi perturbationes seu mauis affectus Asiæ ita est proprium producere, vt siue regionarij, siue aduentitij sint homines & exteri, (dummodo Asiam incolant) ob cęli naturam tales vt reddantur oportet, mores enim illi cum acerbitatem quādam præseferant, si aer & ipse humorum est moderator suo quodam modo, acrem potius aeris naturam quam suauem, & moderatam consequentur. Asia quippè cum tranquillo, placido, voluptuosoque fruatur Cęlo, atque vnde quaque iucundissimo, ad timiditatem, mollitiem, vmbratilemque vitam magis ut inuitentur incolæ probabile est quam secus. Hinc denique etiam fit, vt homines, cæteraque animantia multiplicis edant partus; homines quidem, quoniam sicuti ex vehementi voluptate, idque fortasse

Asia animaliū maximè ferax.

fortasse ob opes quibus affluũt, & luxum incõstantes euadunt, & modo hac modo illac trahuntur, quando infirma est amicitia cuius initium est uoluptas, ita ex iugi etiam eorum cætu fæcundæ prolis propagatio, atque filiorum congeminatio vt plurimum emergit, cętera verò animantia quia voluptate, & ipsa illecta promiscuè coeunt, (ratione enim carent) indè multiformes partus producunt. Qua quidem re Aegyptus Lybiaue (vt id obiter attingamus) Asiam ęmulantur, quamuis alia ratione lybia ipsa, quando quidem cùm ob cęli æstum aquarumque defectum lybicæ feræ nullo inter se habito delectu, circum flumina & lacus ad sitim arcendam cõueniãt, opportuna occasione nacta, coeunt, & prout voluptate magis adhoc quam illud animal trahuntur; ita veluti ex violenta venere conceptus varijs formis præditos ac penè monstruosos edunt, vt hinc deindè paremiæ dætus sit locus, semper Africa noui aliquid affert. Qui autem Asiæ populi aquilonarem illam colunt regionem quæ à temperata recedit, & dexteram uersus tendit ab hyberno sole, quæ regio ad Meotim paludem se extendit, (est enim Meotis palus quæ Asiam ab Europa disterminat) quomodo se habeant inter se, quoq; ab alijs discrepent, aperiendum. Populi hi profectò longè magis inter se differunt quam quos paulò antè discripsimus; cuius discriminis ratio vel hinc conspicua est, si quidem, ut antea patuit, ex cęli constitutione quadã determinata hominum etiam temperaturæ, & mores certi emergere solent atque prout variæ sunt temperies, ita & earum dispositiones diuersę sunt; cũ autem regio hęc quæ boream uersus se extendit uarijs cęli discriminibus subijciatur, diuersam etiam naturam sortiatur pportet;

vndè

vndè & incolæ etiam non eodem modo inter ſe, & ad
ſuperiores comparati ſe habeant. Non vnam autem eã
eſſe aeris naturam, vel hinc apertiſſimum fit, ſi tamen tã-
quam conſtans & uerum acceperimus, terram ipſam ꝓ
ut eadem eſt aut ſaltem maximis mutationibus minimè
obnoxia, eoſdem aut ſimiles ſibi homines producere, ſi-
cuti autem qui temperatam anteà diſcriptam incolebãt
regionem ab aere quidem illius afficiebantur, & pro ua
ria atque uaria illius cęli diſpoſitione diuerſi in ipſis af-
fectus producebantur, nihil tamen obſtabit, quin ob ter
ræ planitiem, exiguaſque ipſius inæqualitates, exiguum
etiam diſcrimen, non admodum tamen inſigne ab illis
ſuſcipiant, indèque fieri ut parum etiam inter ſe ſint diſ-
ſimiles, ita contrà fateri neceſſe ſit, loca quæ magnis cre-
briſque cęli diſcriminibus ſubijcientur, quæ uidelicet a-
cliuia, inuia, in campos deducta, & pratenſia, quinetiam
quæ aſpera & ſaxoſa ſunt, (quando cęli inæquales mu-
tationes inæqualia etiam gignunt loca) homines etiàm
inter ſe diſſimiles productura, & proindè eorum nõnul
li Silueſtres agreſteſue futuri ſint, ut qui ſiluis lacubuſq;
nutriuutur, inaceſſibilibus penè alij aſperieſque locis
degentes, rudes, agreſtes, atque ſubdoli (vbi enim raritas
hominum eſt, ibi plurimum & ruditas & fraudolentia)
loci ſcilicet naturam ęmulantes. Qui verò humidam in-
colunt regionis partem, quia corpore humentiore ſunt,
animo etiam miti ſunt præditi, veluti qui craſſam, palu-
ſtrem, atque caliginoſam, craſſi, ſomnolenti, ingenio he-
betes, tumenteſque redduntur. Demum qui uitam locis
æqualibus nudis, omnique plantarum genere carẽtibus
trahunt, ſicci & ipſi ſint, robuſti atque induſtrij; ſimilem
que ut uno verbo amplectamur regio quęque ſibi inco-

lam similem gignere soleat. Nemini itaque nō patet, ob cęli varias, crebras, magnasq; mutationes, hominum etiam naturas inter se plurimum disseparari. Quo nàm autem populi hi parum admodum alter alteri cōcedat, tanquam minus necessarium ad præsentis rei notitiam, cum vnusquisque uel mediocriter in huiuscemodi speculationibus exercitatus assequi possit, ne oratio in sussuperflua se se insinuans nimium excrescat, in pręsentia enarrare pręternittimus, atque ad eos describendos qui & corporum dispositionibus inter se; nec non legibus, vitæque institutis seiunguntur homines, tanquā admodum vtile conuertendus est stylus. Differunt profectò populi hi, primum quidem inter se ipsa capitum figura, si quidem non nullis eorum capita oblonga sunt & inacutiem tendentia, aliqui autem ea abnegantur forma; cum primum itaque longa atque insueta illa capita ab hominibus obseruata fuerunt, causam huiusce euentus diu meditati, in eam tandem iuerunt sententiam, humana vt arte comparata forēt, diligentiusque rem perscrutati; cognouerūt, cumprimum infantes in lucem exiuissent, obstetrices eorum capita in longum producere cō sueuisse; cui sententiæ in dies magis subscribebant se se, quoniam palàm inter cæteros homines illi generosissimi nobilissimique successiua quadam consuetudine ab hominibus existimarentur, qui oblonga haberent capita, minimè autem qui secus, factum autem fuit, ut temporis diuturnitate ars ferè in naturam transiuerit; nàm si qui mox capita oblonga quidem sed paulo tamen depressa haberent, ob naturæ vim id ipsis contingere maximè crediderunt; quando nulla in illis efformandis arte parentes vtebantur. At quonam pactò primum ex industria

Macrocephali cur.

dustria capita illa longa efformarentur,& in acutiē producta vt indè generositatis opinio apud homines conseruaretur, paucis aperiendum. Edito modò in lucem puerulo, tenerrimo existente capite, manibus molliter adeò obstetrices cōtrectabāt, ut latitudine hinc indè & ad latera sensim depressa, figura uerò paulatim in longum producta, in acutiem eam demum protenderent, quia autem præ mollitie minimè aptū erat diutius seruari, instítis, nec non instrumentis adhibitis ad id affabre efformatis, quibus latitudo iam corrupta, atque in longum aucta commodè seruaretur, longa atque acuta eadem efformare capita consueuerunt. Hanc autem consuetudinem populi mox ætatū temporumquè longitudine cū spreuissent, eos homines nihilominus deinceps citra vllam artis diligentiam sponte sua acutis capitibus natura progignere assueta est, tantum in nobis virium habet consuetudo: vndè postmodum μάκροκέφαλοι dicti sunt, longis scilicet capitibus progeniti, quod hominum institutum, quo pacto natura deinceps nullo artis adminiculo seruauerit, sicuti sciuisse non inutile iudicamus, ita etiam quæ nostra sit hac de re sententia aperire lubet: Humanum semen ex quo quisque progignitur, eo modo antequam excernatur ad filios producendos in parentibus se habet, vt quæque corporis par rapta illud gignere à seipsis singillatim secernant, in unumque coactū atque per venas in pudendum, & testes vergens, in vtroque cōcubitus hora demum cōiectum muliebre, fiat conceptus: ex quo, sicuti corporis mēbra quælibet præsertim portionem impartita fuerant suam, ita etiam earundem proprietates in semine quidem latentes indiderunt, quæ deinceps seminis uires statuto quodam tempore

Ratio conformationis humanæ.

pore in utero muliebri vi formatricis facultatis in actū veluti eductæ, fętum gignunt eiusdem naturæ atque aptitudinis, quibus anteà auctores seminis extiterant, ꝙ vel hinc conspicuum redditur, quia sicut sanæ anteà erant parentum corporis partes quam semen ex ijsdem excerneretur, ita etiam natorum membra salubria sunt, contrà si morbidæ, filiorum etiam erunt valetudinariæ, qui enim caluitiem patiūtur parentes, caluos mox filios procreant, qui glaucos oculos habent, pariter & glaucos, demum, & qui distorti, distortos gignunt, & id genus alios: quid igitur mirum, si easdem ob causas, & macrocephali, macrocephalos sibi similes faciunt? caput quippè cū suam seminis partem ab eo, quod in ipso solidum est atque humidum excernat; sicuti & cętera mēbra, naturæ etiā propriæ vim ut impartiatur ꝓbabile est; quicquid enim tale esse potest, ut uere sit tale, ab aliquo tanquam efficiente necesse est. Nostris autem hisce temporibus, cum omne artis institutum ob hominum negligentiam obsoleuerit atque in naturam trāsierit, nil prohibet quin citrà obstreticum diligentiam, machinamentorumque opere, eorundem hominum capita ab insita parentum vi seminis, si non ita longa ut arte antea efformabantur, at si tamen cæteris huminum capitibus conferantur, longiora producantur, & de his quidem satis. Atque ad alios homines stylum conuertentes, eos præcipue qui macrocephalis contermini sunt, quique iuxtà phasim Colchorum celeberrimum fluuium habitant, dicamus, hos quia contrarijs moribus præditi, diuersam etiam longe uitam à nuper enarratis ducere, quandoquidem ea regio stagnis lacubusque abundat plurimis; humentissimaque, æstuosa, nec non arboribus refertissima,
est

est & densa, proindéque toto anni tembore largissimis, crebrisque imbribus atque vehementibus madet. Præterea, incolæ vitam in lacubus tugurijsque lignis fabre factis arundinibusque cõ textis trahunt suam, ea propter minimum se se corpore exercent; minusq; per uicos ciuitates, aut emporia spatiantur; sed cimbis duplici tabulà fabrefactis, vltrò citròque per lacus feruntur, sunt enim loca illa ob nauigandi commoditatem crebris canalium diuerticulis refertissima. Quod autem ad cibos potusque attinet, ea maximè recrementosa sunt, & semiputria, aquæ autẽ quę eorum potui subseruiunt ob Phasis fluuij naturam qui cæterorũ fluuiorum maximè stat arius est, aut saltem pigro lapsu mouetur, calidæ & lacustres ueluti sunt, quæ cum ab imbribus assiduò augeantur, iugiterque à sole percoquantur, putres fiant oportet, pariter, & fructus qui cibi loco sunt, flaccidi, minus solidæ sunt substantiæ, facilè tabescentes, nulloque maturescentes tempore, idque ob imbrium crebritatem vehementiamque, nec non aeris crassitiem contingit, quæ naturalem ueluti plantarum calorem perdentia, aut saltem obruentia, faciunt, quò minus aut alimentum à solo non bellè trahunt, aut tractum non ita vt par est concoquant, & mox digerant. Hinc itaque facillimum erit, qua nã m à cęteris hominibus corporis specie, moribusque discrepent qui phasianum scilicet propè fluuiũ vitam trahunt iudicium ferre, nam procerosissimi, crassissimique erunt omnium ob extensibile humidum, nec nó articulis venisque ob pinguedinem nimium ipsis obductam obscuris, facie & vniuerso corpore erunt decolores, pallentes, subuirides, & fędi; ac si arquato detinerentur morbo, (sunt enim affectiones istæ recrementitij humidi

midi & crassi soboles, quando qui loca pura aerisque in quinamentis expiata incolunt, coloratiores sunt) cibis quippè spirituque fruentes insalubribus, vitam nec non ducentes desidem, obrutũ ob insitũ calidũ minimeque motu excitatũ, fit, vt recrementa aptè digeri nequeant; sed in carnem eamque vix semilaboratam, & planè informem concrescant; cui itaque mirari subeat, si magni pingues, decolores, pręque copię deprauatã carnis crassi, atque demum malè efformati articulis reddantur? ex eodem pariter meridionali, pluuio crassoque intũs attracto aere, atque turbulentis haustis aquis hominum omnium grauiter loquuntur, quando uocis grauitas hasce maximè ob causas gignatur; irrigantur quippè eius organa, asperaque redduntur & inęqualia; aerque ob crassitiem tardè redditur: pręterea, hi omnium animali facultate maximè imbecilla sunt, minusque ob desidiã ad corporis labores sustinendos accomodati: quoniam cũ ferè semper ab ijsdemmet aeris & temporum constitutionibus sint affecti, minimèque mutationibus parati; eã demmet etiam naturam ut plurimum eorum corpora retineant necesse est; addendum est quin etiam, quia austrini flatus quibus uel maximè ea patet regio, humidi cum sint & leuiter spirent; homines dum eos excipiunt, ad motus atque ferendos labores indè etiam minus apti fiunt; sed segniores ignauioresque indes reddentur: excipimus autem proprium quendam regionis uentum quẽ chencorna incolæ appellant; calidus enim cum is sit, nehilominus tñ vehemẽter spirant; à quo non leue solamẽ homines percipiunt: eo minus autem aquilonaribus flatibus iuuantur, quoniam ob cęli tractus naturam montiumque & arborum interstitium ibidem aut rarò, aut sal

etin

tem leniter spirant: quonam itaque Europei ab Asianis dissepareñtur hucusque dixisse fuerit satis. Sed rursus ad Asianos redeuntes, eos scilicet qui temperatissimæ regioni subiacent (in media enim Asia sitos, nec non delitijs deditos; placabiles, minusque feros esse antea statuimus) ne quid quod ad eorum naturam & mores spectat intactum relinquamus; quatenus scilicet ad Europeios comparãtur, dicamus; eos idcircò molles, moribus placidis; minusque Europeis audaces esse, præsertim si ad rẽ bellicam conferantur quãdo eius penitus ignari sunt; si quidem, cum temporum constitutiones vt anteà statuimus eædem illis semper sint; nec modò ad calidum, modò verò ad frigidum sicuti cæteræ euarient; immò tranquillæ suaues, lenes, atque ipso veri maximè existant similes indè homines illi temperati efficiuntur, & proindè non illa naturæ institutione uiuentes quam crebræ, insignesque aeris intemperies producere solent; quocirca nõ audaces, minusque feri euadunt, ut Europei esse solent; qui dum sub inæquali uiuunt cęlo, maximisque eiusdem mutationibus se se obijciunt; cũ animis etiam perturbentur vehementer; audentes, bello apti, atque ad irã facile concitantur; eandemque ob causam quia eorũ mens varijs rerum obiectis agitur cogitabundi sunt; quod quidẽ minimè Asiaticis qui temperato fruũtur cęlo vsu uenit. cæli quippè constitutio dùm varia est vt centies diximus; maximam partem ad ingenia hominum excitanda sibi vendicat; cum vel minimũ ociari ea sinat. Animus enim cùm corpori subseruiat, corpore ob diuersas aeris conditiones alterato, nõne innatum etiam calidum animi proprium instrumentum suscitari concitarique; atque proindè validius ex motu & concitatione ut se ipso reddatur

Asiani imbelles.

tur necesse est:quid mirum itaque si qui maximis cęli di scriminibus obnoxij sunt audaces, prompti,iracũdi, immò & quandoque immites euadant? quod quidem passim ijs negatum est, qui quamcũque uel mediocriter tẽperatam incolunt regionem; minimum enim eorum calor & spiritus ob iugem quietem excitari apta sunt:quocircà,molles,placidi,pusillanimes, imbecillesque ut fiãt oportet:forentque Asiani ad hominum cætus aptissimi, ciuilibusque moribus præstantiores;nec non mentis ingenio ad scientias excogitandas accomodatissimi,voluptatum nisi, & deliciarum usus eorũ uires dispergeret, atque effęminationem in ipsis pareret. Qui autem inter eos ingenij viribus in scientijs excogitandis cæteris præcellunt;quia sibi ipsis vim inferunt, nec non ambitione, honorumque cupiditate illiciuntur,potius quam libera voluntate ad id feruntur; si quidẽ honores maximè alũt artes. Adde,quòd ijdem minimè ingenui sunt; sed arctè legibus subijciuntur;pręcipuè qui regum,Principumue parent imperio,indè enim fit, ut (præter quòd Regibus subiecti timent magis, quando audacia si prodest bello vtilis esse solet;& qui legibus non obtemperant,licentia & libertate audẽtiores fiunt) minus curæ sit ipsis ut in aciem descendentes fortes fiant atque audentes; immo si qui inter eos bello aptos se cognouerint,propriam dissimulare solent animi fortitudinem ; si quidem dum strenuos milites atque egregios pugnatores se præstiterint, eandem martis aleam quam eorum Imperatores subire nequeuntes, sed longè periculosiorem ; tum ob infirma castra,atque periculis maximè obnoxia; nec non debilẽ apparatum, & id genus similia, quibus longè illis inferiores sunt;præter quòd parentes, vxores,dulces natos, cognatos,

Asiani effęminati.

gnatos, amicos, patriam denique, & quicquid illis carius est, vt exteras regiones longinquasque appetāt, derelinquere cogūtur, omnique frustētur spe, vt adepta etiā victoria hostium spolijs potiantur, cùm uix ad explendas regum cupiditates eorumdemque luxui parcendo satis esse possent, tandemque in bello, quę fortiora sunt periculosioraque experiri cogātur, in maiora indies pericula, & in mortē etiam quandoque irruant. Neutiquā igitur mirum uideri debet, si aut imbelles sint, aut saltem minus audaces spontè se præstent; immo vt se se à iugo excutient insolenti, proprias sedes quanque delinquere coguntur, undè mox à barbarorum incursibus populatę, agri ob desidiam inculti penitus maneant, vrbesque & loca denique in pessum eant: si quibus tamen eorum audacia atque animi viget magnitudo, vt neque prospera fortuna efferantur, neq; aduersæ succumbant, sed vtriusque mutationem ęquo animo sustineant, animique & corporis viribus sani sint, neque æstu affligantur, aut frigore, sed in suo statu immutati perdurent, & denique nullam animi perturbationem admittant, & quia magnanimi sunt, magnis etiam se dignos existiment, & magna facere appetant, ij inquàm à legibus quæ patrijs publicisque commodis maximè noxiæ sint, se se vindicantes, communi etiam vtilitati consulunt: cuius quidem euentus uel hinc non leue argumentum accipere licet, ꝙ quicunque Asiatici, Græci, Barbari, exteriue sui iuris sunt, nullorumque regum ditioni obediunt, sed virtutis amore prolecti periculis spontè se se obijciunt pro aris focisque tuendis, ij inter cæteros Asiæ populos audaces, bello fortes, atque magnanimi existimantur, nàm dum fortes se exhibent fortitudinis etiam præmijs potiuntur,

suæ, sicuti si desides sint, propriæ ignauiæ ac timiditatis pęnas luunt. Ex enarratis itaque constat, quo Asiatici populi inter se discrepent, quique inter eos potiores, qui itidem deteriores sint, quantumque temporum constitutiones atque earumdem mutationes virium in ipsis habeant. Age modò, Europeios conueniamus, & primo

Europæ cōstitutio. Scythæ.

scythas, eosque qui propè Meotim paludem vitam trahunt suam, sarmatæ appellantur, quoque à cæteris hominibus differant aperiamus. Primum verò de earum fęminis nonnulla dicere consultissimum iudicamus, tanquam quid enarraturi, quod supra mulierum sit conditionem. Eæ plurimum equestri militia atque iaciendis

Amazones.

aduersus hostes sagittis iaculisq; exercere se sunt solitæ, idque non toto vitæ cursu, sed quousque tantum virgines fuerint, quando non anteà nubant, quam ternos hostes bello interemerint; prohibet etiam publica lex huiusce regionis vt viris iungantur suis, nisi patrijs Dijs antea vt eorum mos obtinuit litauerint, ita enim propitios magis eos sibi affuturos arbitrantur. Actutum autem nupserint, confestim etiam bellicis munijs patria lege soluuntur, tandiu tamen bello desistunt, quamdiu necessitas eas aut hostium incursus impellere propulsareque, aut cæteris bella inferre coegerit. Vt autem fortiores inter pugnandum euadant, solent earumdem matres donec teneriores adhuc puellulæ sunt & balbutientes, ęneum instrumentum arte quodam modo proprio fabre factum igne candens dexteris mammis admouere, easdemque inurere, indè enim id boni se capere posse credunt, non quidem vt mammæ impedimento essent ad pugnã conferendam, & sagittarum iactus, sed magis, vt nequeunte alimēto in mamillas trahi, quia iam imbecillæ factę sunt

&

& proindè neque ali, minusquè succrescere possunt, retrocedat necesse est, atque circũstantes ipsis partes, brachia scilicet, & dexteros humeros augẽtes, firmiori quodam nixu ijsdem redditus robustioribusque factis, mox & agilius iaculari, telaque tractare valeant. Vndè Amazones deinceps appellari cæptæ sunt; Mammis scilicet expertes, aut mauis maza haud nutriẽtes se se; scythæ enim carnibus præcipuè vesci soliti sunt vt infrà aperiemus; erat autem maza panis genus vetustioribus vsitatissimũ. Alia scythica gens est, quæ quo se habeat pacto pluribus disserere superuacaneũ uidetur; sat tamen hoc fuerit adnotasse, eos populos sibi ipsis figura admodum similes esse, cęteris autem penitus dissimiles, quod quidẽ Aegyptijs etiam proprium est, vt scilicet cęteris differãt; inter se, autem minimè, similitudinis autem & dissimilitudinis scytharum Aegyptiorumque tùm inter se se tũ cęteros nõ eadem tamen causa est, si quidẽ, scythæ à frigido cęlo, Aegyptij verò, ij videlicet qui Aethiopiã versus & austrum tendunt, (quãuis quæ Nilo irrigatur pars temperata fiat) à calido uexantur, neque præter rei naturam id esse uidetur, ut scilicet idem à dissimilibus causis prodat effectus alia atque alia ratione; præsertim cũ cęli constitutiones eędem perpetuæ, propriæ scilicet utrarumque regionum sint, & æquales, & quas inges similitudines caliditas hominibus præstare solet, easdẽ & frigida potens sit suo quodãmodo, inæqualitates enim aeris hominum figuras etiam inæquales gignere apertissimis rationibus, & exemplis iam antea plusquam sexcenties ferè demonstrauimus. Cęterum quod uitæ institutũ seruẽt scythæ, prout orationis series expóscit, aperire lubeat, sed non tamen anteà quàm regionis naturam positumque

Scytharũ mores, & positus.

situmque paucis descripserimus. Scythia inquadá orbis planitie sita est, Istrum inter fluuium scilicet, & euxinum mare, deserta, inculta ut plurimum, urbibus pagisque quibus populi ad ciuilem uitam trahédam se se recipiát omninò expers, solum arboribus nudum est, pratis tamen refertissimum, irriguisque aquis moderatè scatet, quæ enim ex largis imbribus super sunt aquæ pro irrigando solo in fluuios, qui aut ipsi contermini sunt, aut ipsam regionem alluunt, queq; ingentia sunt ob aquarú exuperátiam deriuantur, moxque in pontum influunt.

Nomades cur. In hac itaque regionis planitie pratisque refortissima uitam traducút suam scythæ; qui & Nomades appellátur eò quia vagi cum sint, & domibus careant ob pecorum etiam atque armenti affluétiam herbarum pastionibus plurimum vacant. Hi domibus solo extructis penitus carent; sed ut se se a cęli inclementia tueantur, plaustra pro domibus struút, eapropter Homaxobitæ dicti sunt; quæ lignis fabrefacta mox luto liniunt ubique, & occludút, quorum curruum qui inter cæteros exigui sunt, prę ter quòd simplici tantum tabula constant, quatuor dumtaxat rotis trahuntur; qui auté maiores fuerint, duplicique structi ligno, quia grauiores sex etiam rotis uehi solent. Plaustra hæc, ea arte fabrefacta sunt, vt q intus se se recondant, à quauis aeris & cęli inclementia, tum ventorum aquarumque cum etiam nimium iniuria facillimè tueantur: trahuntur autem hac illacque à bubus iugo alligatis pro suo quęque magnitudinis modo; hoc quippè duobus, illud tribus bubum paribus: mirumque est, bubus illis hoc innatum sit natura, ceteris autem obnegatú omnibus, ut scilicet cornubus careát; quod quidem diu cogitantibus nobis, non aliundè quam regionalis frigo

Boues scythici cornubus carent.

ris

ris ob uehementiam contingere existimauimus; quippè cum quod in caput terreum est in maximis animalibus in dentes pro alimēto cōminuendo & cornua abeat, ut illatam vim repellere possint; frigus aeris acerrimū quo vel maximè scythiam algere dicebamus, dū cutim capitis stipat, inde ueluti callus quidam contrahit, qui mox impedimento est, quominus terreus ille humor extrà erumpat & in cornua degeneret; sed retrocedendo, aut indentes concrescat, ossiumue magnitudinem augeat; aut quid aliud necesse est. Sed ad rem redire tempestiuū est: Nomadum vxores quia viris natura molliores sunt, minusque laboribus suetæ, curribus se cōtinent, illisque huc illuc, prout libuerit feruntur: homines autem quia frigoris, ventorum, atque aquę iniurijs magis se accomodant, equestrem uitam iugiter ducunt; sequuntur hos equorum pulli, iuuenci, ouesque: ea autem in quaque regionis parte tādiu moram trahunt, quam diu fęnū quo alantur ipsis fuerit satis; mox aliud solum appetunt: victus illis est caro animaliūn cocta, potus lac equinum; obsonium uero equinus caseus; qui eo modo fit, dum lac in caua lignea vasa concutitur, & quid subsederit vsui seruatur; Hyppacem dicunt. Quod uerò ad corporis speciem cęlique naturā attinet, quam scilicet ob causam similes inter se sint, alijs uero hominibus dissimillimi; sicuti & Aegyptij, antea satis superque aperuimus. Proprium huiusce regionis est homines parum fęcundos, atque animalia exilia admodum gignere; quod non aliunde quam ob idem uehemens frigus ipsis contingere credendum est; nequeunte scilicet interno calido vires suas strenue obire: nam, cùm arctico sub polo atque vrsis iaceat regio, Ripheisque subiecta sit monti- Scytæ infœcundi.

bus,

bus,qui niue & glacie perpetuo refertissimi sunt;nec nõ aquilonaribus asperimisque agãtur flatibus; tũcque pro pinquiori sole fruuntur tantùm homines, cum ab æstiuo tropico abscedat;quod quidem semel tantum quolibet anno,paruoque tempore contingit;obliquisque admodum,& uix momentaneis radijs feriãtur, minusque ventis tepentioribus foueantur tum ob loci distantiam, cum etiam quia montibus obregũtur; nec non ob aquarum vbertatem,& glaciales niues montibus ut diximus iuges,præter cęlum etiam perpetuò nubilum: Quid inquam mirum, si scythica hæc regio cæterarum frigidissima sit,sique ob externum frigus atque humidum internum,calore insito etiam penè distituantur homines aut saltem obtundantur;alimẽtum non bellè elaborare possint,minusque membris quod satis fuerit destinatũ partes corporis extendere atque in magnitudinem concrescere; proindèque feræ atque animalia pusilla admodũ atque exilia sint, addimus & caliginosum ut diximus ęterno ferè aerem recrementiũq;,quia sol quos tollit uapores,eosdem dissoluere nequeat; nec non loca humentiora,indèque perpetuam ferè hyemem,æstatem autem quam breuissimam, minusque tepentem quam propria natura esse soleat:quamuis enim plana sit regio, neque mõtibus intersecta;attamen accliuis est,aquilonem versus & septentrionem,arboribusque alicubi nuda;eã propter uentis frigidissimi cum sint nec nisi longè ob planitiei magnitudinem montibus circunsepiantur, frigus eximium regio illa experiatur necesse est? qui itaque minimè fiat,ut ferę etiam siquæ progignuntur,& animalia quia aeris sæuitiem ferre nequeant; pauca, exiliaque ea admodum sint;& eius naturę,ut terra uix se condant latitentque

titentque, carent enim vmbraculis quibus tanquam stabulis fruantur. Quæ quidem incommoda maximè augentur ab æqualibus anni constitutionibus, semperque si non ijsdem existentibus, at saltem paruam mutationẽ suscipientibus, quando corporum varietates vt millies diximus, à cęli varijs dispositionibus producantur, qua quidem diuersitate scythia omnino caret, hincque fit, vt homines eiusdem etiam faciei, coloris, magnitudinisq; inter se sint semper, varijsque cibis minimè oblectentur, sed alimēta eadem semqer ipsis in delectu sint, sicuti & ijsdem indumentis tā hyeme quàm ęstate tegantur, omnesque pariter eundem humidum crassumq; suscipiant aerem, atq; aqua si quando eam epotent, ex niue & glacie expressa sit, minimumque fatigentur: si quidem vbi validæ nõ sunt cęli mutationes, sed eędem semper, corporis etiam eædẽ qualitates atque animi affectus ob cõsueta obiecta insequantur est necesse, & sicuti corporũ ignauia huiuscemodi homines detinētur, ita & ingenio obtusi viuunt. Nomades hi corporibus præstant crassis, multa carne obsitis, obesisque, articulis laxis mollibus & proindè inualidis, ventres autẽ præcipuè inferiores habent humentissimos: si quidem caro, lac, caseusque quibus vesci consueuerunt, nec nõ uita deses sanguinis ꝓuentum congerere solent, qui cum minimum aut ab externo calido, aut laboribus confici digeriq; possit, in carnem concrescat oportet, cumque non omnis in alimentum sanguis transeat, sed pars maior à frigore recrudescat, isque in articulos pręsertim & inferiores vētres prępondere deturbetur, hinc obesi, articulis obducti, laxi, corporisque cauitatibus recrementosi reddũtur, qui neque etiam ob crassum humidum aerem, atque regionis

rigorem benè resiccari possunt, est enim boreas illis humidus, non autem siccus, quid igitur mirum si molles vt viuant necesse sit? demum ob vniuersalē corporū obesitatem nec non glabritiem (quia deest his præustus vapor) viri sicuti & mulieres maximè inter se similes sunt,

Scythę forma inter se similes cur.

prętérquòd, parentum semina ex quibus cęteri gignuntur, nullam à cęli constitutionibus inæqualibus aut corruptionem aut contagem cōtrahunt, sed eodem modo vt se habeant numquam non assiduè opus est; Quapropter filios iugiter parentibus atque inter se similes progignent, quando perpetuus est naturæ modus, ut inæqualitates cęli atque aeris, inæquales corporis atque animi conditiones hominibus impartiantur: hanc itaq; ob causam scythæ inter se forma simillimi sunt, ab his autē excipiendæ semper sunt causæ q̄ fortuitò, incidere possunt, vt prauus victus, & cuiusuis morbi conditio, medicamenta, nec nō animi perturbationes, & id genus alia; quandoquidem, semine ab his causis alterato, æqualitatem etiam corrumpi necesse est. Excellens autem horū corporum humiditas indè etiam firmius deprehēditur, quoniam qui pascuis operam dant Nomades, humeros brachia; manuum articulos, iliaque candenti ferro sibi inurunt, idque non aliam ob causam, quam vt exuperātem mollitiem præcipuè discutiant, ob vstionem quippè cum resiccentur partes corporis, quia humidum earundem recrementitium in halitum cōuertere apta est, ficciores mox redditæ quæ anteà molles fuerant, atque non nisi impedimento quò minus possent arcus tendere, iacula iacere, atque cętera belli munia obire aptè, ad mediocritatem quandam productæ, agiliores, accomodatiusque ijsdem obeundis officijs se præbeant, prætérquòd

quòd articulis inustis, rubustiores, toto corpore firmiores conspectioresque euadunt homines, enutriuntur enim tunc partes melius, & si quid superflui superest humidi, facilius a b innato calido superatur. ob eandẽ connaturalem humiditatem non tamen sibi benè coherentem id mali etiam cõtrahunt Nomades hi, vt eorum membra distorta, inconcinnaque euadant; nam & claudi, vari, vatij, nec nõ gibbosi interdum sunt, quod nõ altrinsecus prodire credendum est, quàm ob matrũ nutricumque incuriam, aut mauis ignauiam, quæ dum infantes mox in lucem editos minus bellè quam deceat, immò ineptè admodum pannis institisq; vinciant, (qua etiam sedulitate Egyptij maximè deficiũt) quin vt quoquo uersus liberè moueantur permittunt, mollia, tenerrimaque ea membra cum maximè sint, inquãcunq; partem facillimè ducantur aganturque, distorti deinceps atque indecori fiunt, pręsertim minimè impedito alimenti affluxu eò tendere quo ad membra defædanda liberè tendere non deberet. Addere quin etiam licet, quod viri pueri adhuc dum equis uehuntur, minus curæ est parentibus vt recti, obliquiue, alioue quopiam modo impolitè atque indecenter equis insideant, quando præ nimia mollitie membris indecenti equitandi consuetudine indies magis distortis redditis, callo vt dicitur obducto, eandem etiam impolitiam donec vixerint retineant necesse est, demũ, ocium atque uita deses maximas partes ad emollienda corpora atque laxanda sibi vendicant, si quidem, dum pueruli adhuc, atque equitationis ignari plaustris perpetuò fere se contineant, atq; ob itinerum lõgitudines, quibus ob exilia dum regiones circũuagantur maximè parcere cogitur, minimum cor-

 pore

pore exercentur, immò neque paulum quidem pedibus eant, molliores adhuc reddantur oportet, quando improbus labor firmiora ac robustiora corpora reddere solet. Mulieres pariter ijsdem incõmodis ac ipsi pueri qa subijciuntur (præter enim prauam educationem, cũ frigidiores vt plurimum viris sint, calorque earundem imbecillius agat, exuperantem humiditatem minus potest digerere, laxioresque inde redduntur) visu mirum est, quam indecoræ, deformes, motuque segnes sint. Capillos habent rufos Nomades, quandoquidem quilibet pilorum color cum aut ad vaporem aut humorem referatur, prout inter se mixti sunt aut incompositi, ita hũc vel illum colorem sibi comparant: cùm itaque scytharum huiusmodi maxima pars humida sit & frigida, plurimũque pituitoso scateat succo, paucam autem bilem congerat, quid mirum si erumpente per capitis cutem veluti limo plus pituitæ quam biliosi succi, ex vtrisque rufi producantur capilli? pituita enim alba cum sit & cutim petat capitis, adiuuante etiam eam regionali aere exprimatur mox à frigore oportet, atque paucula ea quæ scilicet tenuior est pars, præ valido motu incalescat in bilemque degeneret, quę cum exigua admodum fuerit, remissiorem etiam sui colorem præ se feret, pituitæ autẽ intensum, cęteros enim copia superabat, indè itaque rufus ipsis capillorum color euadit, qui quodãmodo medius est albumi inter & flauum. Ex his etiam luculenter colligi potest, necessum fore, tàm mulieres quam viros Nomadum parum fęcundos euadere, si quidem, semen quod maximè elaboratum quid ex sanguine est, & spiritibus turgens, in viris conceptus cum princeps sit causa, id si extremis sit temperatius, fęcũditati erit accõmodatissimum,

datiſſimum, at, non in quomodolibet conſtituto corpore fęcundum ſemen gigni aptum eſt, ſed in ſano inculpatoque. ſi itaque vir malè conſtituto ſit temperamento minus etiam fæcundo ſemine abundet neceſſe eſt, quod in ſcythis hiſce contingere facilè poteſt, cum enim fuſe admodum anteà oſtenderimus humidos illos maximè eſſe, frigidos atque excrementis inquinatos, eorum dein ventres ignauos, frigidos, molleſque ob præcellentē humorem fore rationi etiam conſonum videtur, quiq; ſemen aut paucum, aut aut frigidum, aqueum, ſpiritibuſq; ferè deſtitutum, & parum pruriens gignant, proindeq; minus etiam veneris congreſſibus ꝓpenſi ſint, vnde meritò infæcundi euadent: ad hæc, cum ob iugem equitandi conſuetudinem corporibus delaſſentur, & veluti frāgantur, ſi qua tamen ſpirituū pauca copia ab innato calido ſemini immiſcebatur, omnis deinceps exoluitur, atque præ labore euaneſcit, qua propter, coitum facilè reſpuunt, fęminę pariter quia deſidem trahunt vitam, ob eſulæque ſunt vt diximus, molles, & humidis ventribus præditæ, vteros pituita, mucoque repleant probabile eſt; indè fit, vt virile ſemen aut ob vteri lubricitatem extrà effluat, aut præ humore nimio obruatur, & prorſus corrumpatur. quid quòd ob pinguedinem etiam abdominis compreſſa, & veluti ſtipata earundem vteri ceruice, impediri poteſt quominus vterus hiet, atque ſemen admittat? addimus, & menſium ſuppreſſiones defectuſue ſeu mauis intempeſtiuos effluxus, fętus quidem neceſſariam materiem, cum enim ſanguis qui pro alendo corpore fæminis ſuperfluit, ſtatiſque quibuſdam diebus ab impellente vi vtero demādatur, fętui ut materiem ſe præbeat, corpore præhumido exiſtente, & pingui, aut in Infęcunditatis ratio.

membro-

membrorum ſubſtantiam anteà verſus fuerit, aut ſi qua eius portio ſuperfluit,ea pauca prauaque omnino ſit,ne que pro temporis opportunitate excreta,indèque haud ſufficere , probamque fętui materiem ſe ſe præſtare nequeat, facillimè indè infæcundæ redduntur.Quod quidem uero conſonum eſſe, ancillarum euentus clare teſtantur, eæ quippè cum præ labore atque vitæ exercitatione quæ ob dominarum imperium experiri coguntur incaleſcāt,gracilioreſque fiant,uenerem etiam bene appetunt,atque aꝺtutum uiris permiſceantur, protinus ēt concipiſſe ſe nouerint;non enim ob uitam deſidem,aut recremēta cōgerere, uteriue humiditatibus,aut ſtipatio

Scythę cur Eunuchi fiant.

nibus corripi debent. Infæcūditatis demum ſcytharum cauſa hinc augetur, quoniam eorum plurimi eunuchi euadunt: Teſtes ſi quidem cum ſemen in viris gignunt, robur ēt corporis,animique vigorem augent; ab ipſis enim in corpus uniuerſum vis quædam calorifica per venas & arterias,immò propriæ naturæ cauſa quædam im mittitur vt viri ſint non autem fęminæ, quæ vis teſtibus munus ſuum minimè fungentibus, ſed otio torpentibus euaneſcit ſtatim,propria quia facultate,& temperamento deſtituuntur,vndè mox frigidiores euadunt, & à naturali ſua conditione degenerant homines, qua propter quia corporis animique indè contrahunt mollitiē, nec non acutam vocem,exilem,fęmineamque edunt; meritò effęminati nuncupari meruerunt,quorum quidem in conſultum caſum mox cęteri regionis incolę ſuſpicientes,cauſarum ignari,præ animi qua corripiūtur fluꝺtuatione,immò & conſternatione, eorum maximè miſerētur,& quod mirum quidem videtur,plurimo proſequū tur honore,veriti fortaſſe, ne dùm miſeros hoſce homi-

nes

nes ob perpetrata scelera Deos suarum erumnarum auctores appellare sentiunt, easdem pęnas iisdem quandoque iratis in se ipsos conuertant. Nos verò hos, cęterosque huius generis casus à Dijs quidem proficisci, eorũque nullum alteri Diuinitate præstare arbitramur, cùm ab humana vi sola penitus non emanent, sed existimamus naturalem quemque effectum suam etiam causam obtinere, à qua tanquam ab effectrice ui emanent, natura enim cum diuinitus gubernetur, aliquo modo diuini etiam nuncupari merentur effectus quicunq; ab ea hominibus superueniunt. cęterũ si qua naturalis causa huiusce casus afferri potest, quid sentiamus aperiendũ est; scytharũ illud esse vitę institutum anteà dicebamus, vt viri equitatu iter faciant, cùm autem inter equitandum eo careant adminiculo quo crura pedibus firment, (stapem liceat modò nuncupare) sed propensis iisdem ferãtur, facilè crassi crudique quibus maximè referti sunt collabentes succi infrà, seu à capite siue ab vniuerso corpore, præ naturali pondere articulis tanquam corporis recrementa facilè suscipere paratis imbecillisque partibus figentur, præcipuè autem coxarum nexibus, vndè vt plurimum ob neruorum etiam ex plenitate contractionem coxendice vehementer laborent, mox & claudicẽt necesse est. Quo malo cum se se vindicare nituntur, quo præsidio uti consueuerint diligenter aduertere lubeat. Quicunque homines natura quibusdam venis donati sunt, quę sursum versus ponè aures in caput repunt, quã primum itaque scythæ coxendice præhenduntur, inualuit apud eos consuetudo statim scalpello eas scindere, indèque larga ut sanguinis copia perfluat permittere, ꝙ deinceps sanguinis effluuium cùm ob inanitos spiritus

virium

viriūm ſequatur languor atque imbecillitas, hos ob vigilandi impotentiam ſomnus corripit, quo diutius producto, deinque collecta ſibi natura, experrecti, fit, vt eorum aliqui coxendice ſanatos ſe eſſe experiantur, nonnulli autem eodem quo anteà affectu vexari ſe nouerint, nequeunte propterea eorumdem propria natura (calore quamuis intus ſomni vi truſo) propter virium exolutionem morbi cauſam quæ ſupererat, penitus euiciſſe. Ex hoc itaque ſanguinis effluuio, nec non illarum venarum ſciſſione (vt proximius infæcunditatis cauſæ hęreamus) eam ſcytharum infæcunditatem prodire arbitramur; quo autem pacto audire non erit iniucundum: ſemen omne quod ab homine decidit, à quacunque parte corporis ſecernitur, vt ſupra iam decreuimus cum de Macrocephalis ageremus, utileque eſt earum partium excremētum; cum autem cerebrum inter corporis partes princeps ſit quoddã viſcus; neque exiguam facultatis uim ſemini ac teſtibus impartiatur; præter quòd quēdam genitale ſemen etiam cum cerebro naturæ cōſenſum habeat; quod indè eluceſcit, quia nimium coeuntes, oculis mente nec non imbecilliores fiunt; cum largum admodum in his præceſſerit ſanguinis effluuium ob ſectas illas prope cerebrum uenas; nō exiguum etiam pro elaborando ſemine materiei & facultatis cerebro præcipuè, & proindè uniuerſo corpori adimatur neceſſe eſt; eam ob cauſam itaque, ob eaſque ſectas uenas, quia teſtes non eam ſeminis fęcundi copiã & ſpirituum qualitatem ſuſcipiunt, quę ad generationē ſibi ſatis ſit: effętis uiribus imbecilles, atque ſemimortui euadũt, muneriſque proprij obliti, infæcundos indè euadere homines iudicamus. Sed interceptum iam orationis

Humani ſemini s ſecretio.

nis

nis cursum prosequentes dicamus; scythę quamprimum experrecti sunt; ut exoptatæ sanationis periculum faciant, uxores adeunt quibuscũ si consuetudinem habere possint, mirum quam præ gaudio exiliant, sin minus, vehementer tristantur, verum neque fęcunditatis spem prorsus sibi adimunt; existimantes affuturam propediem coeundi uim si paulum scilicet quieuerint; at si iterum & tertiò ampliusque opere frustętur suo; rati ob insigne aliquod facinus Deorum numina lęsisse, & proindè ob eorundem iram Veneris potentia omnino destitutos delicti pęna mulctatos iri; præ męrore, animique angustia consternati, muliebribus uestimẽtis induunt se; mollesque immo euiratos cunctis se se palàm ostendentes, texunt, nent, liberos educant, domum & rem familiarẽ custodiunt; ut fęminę loquuntur; cunctaque ad summã ac ipsę mulieres obeũt munia; unàque ipsis toto uitę cursu cohabitant; rati, hoc uiuendi modo debitam peccati pęnam subire posse: eà propter effęminati nuncupantur. Nec propterea arbitretur quis cuique inter scythas calamitatem hanc superuenire; quando nobiliores ditioresq; ea premuntur tantum; cuius ratio indè accipitur; si quidem, cum vilioribus minime ut diximus equestrẽ uitã ducere datũ sit sed potentioribus tantum, haud mirum si potissimum hi hac noxa prehenduntur; si quidẽ qui locupletiores sunt, facilè equos alere possunt; nõ autem plebeij atque idiotę, ea propter ob contractum antea enarratum ex assidua scilicet equitatione morbum effęminati redduntur; si itaque ob Deorum iram seu uindictam propter eorum scelera infęcunditas atque euiratio illa superuenirent; pauperes pariter atque infimæ sortis homines eidem noxæ subijcirẽtur; nam ditiores, qui

Scytæ effeminati.

M que

que inter ipsos scythas generosi existimantur, cùm pecunijs diuitijsque maximè affluāt, Deorum numina sacrificijs, expiationibus, nec non templis, aris, statuarumque erectionibus sæpè propitios sibi reddunt; quod quidem plebeijs qui ob paupertatem negligentiores in Deorum cultu se exhibent (quādo neque sacrificia facere, minusque statuas erigere possunt, & alios honores impartiri) denegatum est; immo hi ut plurimum (quo quidē nihil est profanius) Deos detestantur, iniquitatisque arguunt quod opes minimè eis suggerant; nec mirum, quando mens humana nūquam ociatur; & pauperes dum ignauia præhenduntur, nihil non cogitant quod fraudulētū non sit & turpe; ea propter in eorum iram sępius incidere sunt parati, præterea, cum Dij honoribus maximè gaudeant & adorationibus, indèque opinio apud homines inualuerit se admirandos gratosque exhibere, ignobiliores à Dijs uexari potius quàm potentiores debere maximè rationi est consentaneum; quod tamē iugi eorum vsui minimè probatur; cū nobilissimi ditissimique tantum, nō autem pauperes & plebeij sorti huic subijciantur; non igitur Deorum indignationi eorum euirątio adscribenda erit; sed corporis affectui, quem quidem diuinitus accidere & nos fatemur; at non tamen citra quēdam proprium naturæ ordinem, qui in uiuendi forma vt anteà explicauimus præcipuè consistit, sicuti & cæteri humani affectus. Ad hæc, ob diuturnam indecentem equitationem cæteri scythæ cum in articulorum coxendicumque dolores facilè incidant atque in podagram, ob influentes pro corporum natura humores, nec non equorum succussationes; ideo imbecilles ignauique magis quam cæteri homines in uenerem redduntur, ratio-

que

que id ſuadet, quoniam cum familiare eis maximè ſit in guina atque pudenda ſubligaculis femoralibuſque arctè vincire; ſintque equitandi labore iugiter occupati & feſſi; vt neque præ rigore & torpore penem manibus cõ trectare calefacereque poſſint (quando ualidum etiam corpus ignauia quandoque corrumpitur) immò ne tantulo quidem deſiderio agantur ut ueneris uoluptatibus vacẽt; haud mirum ſi torpidi poſtmodum, ſegnes, atque ad coeundum imparati & veluti obliti facillimè reddũtur. indeque eunuchi ut fiant æquo animo diſponantur, muliebreſque mores ęmulentur atque officia; & tandẽ effęminati fiunt. Et de ſcytharum quidem natura; morũ legumque inſtitutionibus hactenus dixiſſe fuerit ſatis. Supereſt modò, ut reliquum Europe hominum genus quo ſcilicet inter ſe tùm cæteros deſcrepent aperiamus: Differunt profectò hi maximè inter ſe ob id præcipuè, quia Europę regiones maximis, frequentioribus, repentiniſque cæli mutationibus ſubijciuntur: aliquibus enim æſtiuę conſtitutiones præ calore ſquallidæ maximè ſunt pariter & hyemales frigore admodum rigent, nec non pluuijs largiſſimis, vehementiſſimiſquè uentis actæ, ut ne ceſſario genus omne cęli mutationum experiantur. Ea propter homines inter ſe ſe & magnitudine & corporis ſpecie ut differant neceſſe eſt: quod quidem ſcythis non contingebat, quoniam ſub eodem cęlo uitam ſemper trahebant ſuam; unde & ijdem mores corporumque di ſpoſitiones conſequebantur: Europeij autem cæteri con trà ſe habent; cùm enim humores hominum pro tempo rum uarietate diuerſam etiam naturam ſortiantur, ut æſtate feruidi, hyeme frigidi, uere temperati, autumno

humoribus producitur uario ut se habeat modo oportet, vnde etiam diuersę hominum naturę emergent. non itaque mirari subeat si Europeij, qui sub uario uiuunt cęlo diuersa etiam & corporum constitutione & morum idea affecti sint, secus quam Asiani, qui ęqualiori semper fere & temperato fruuntur aere, immò & magnitudine & corporis structura inter ipsos alter alteri concedat: quid, quòd nedum regionum populi, sed etiam eiusdē ciuitatis homines magis quam asiatici inter se communiter discrepant comparati? cuius quidem effectus ratio ea est, quoniam aeris discrimina quæ corpora alio atque alio modo alterant, à terræ situum tractuumque differentijs potissimum peti solent; Europa si quidem plana, accliuis, squallens, humentior, frigida temperataque existit, immò & eadem etiam ciuitas diuersis cęli mutationibus subijcitur: alia enim pars accliuis est, alia decliuior; alia meridiem, aquilonem alia atque orientem occiduumue solem spectant: quid igitur prohibet ut diuersarum regionum immo & eiusdemmet regionis & Vrbis homines inter se maximè & magnitudine & corporis specie, nec non moribus haud leuiter dissentiant? quin immo, & homo à se ipso alio atque alio tempore ob cęli discrimina euariet? quando in squalloribus acrius semen & crassum, in algoribus frigidius; in humiditatibus aquosius tenuiusque gignatur, indèque diuersę ob seminis concretionem natorum conditiones emergant? idē etiam præstare solet uarius Europeiorum uiuendi modus: non enim idem ipsis semper, est, quando eorum nō nulli quibus corpus veluti tartarum est, sæpius in die saturi fiant; alij uētrem crapula semel nimium extendant; quādoque ebrij sint; & magisquam corpus exigat somno sint dediti; alij laboribus frangantur nimis; præter du

bias

bias cœnas & delitiarum plenas, quę ex edulijs diuersorũ generum prodeũnt: atque curiosum nimis in eisdem deuorandis apparatum prępofterumque ordinem; nec nõ animi perturbationes atque innumerabiles ferè solicitudines, quibus maximè aguntur, taliaque huius generis corpus ualdè permutantia; qua propter, seminis etiam naturas inter se uarias esse contingit. Quod ad eorũdem etiam animi sensus attinet, in idẽ pariter coincidunt sicuti etiã corporũ habitudines; quo enim Europei ab Asianis corporũ constitutione & magnitudine pariter inter se distabant; eodem & animi propensionibus ob easdẽ causas inter se disseparari ratio suadet; ob frequentissimas scilicet maximasque cęli uarietates sæpius dictas q̃bus Europei ab Asianis distãt; si q̃dẽ, cũ mores circa ea p̃cipue uersent̃ q̃ animo qs cupiat, siue honesta & bona, siue uitiosa atq; praua ea sint; qui aut natura nobis insiti sũt, aut educatione cõparant̃; q̃ ad eos q̃dẽ spectat q̃ naturã cõsequunt̃ ipsam; p̃fectò cũ ij à situs regionisq; natura petant̃ maxime Europeij natura feroces, iracũdi, audaces, atq; magnanimi erũt: si enim corpora maximè ut millies plusquã dictũ est, ab aeris mutationibus crebris uehementibusque afficiantur, & ueluti ferueant; animos quoque quibus corpora subseruiunt exercere se & concitari necessarium est, undè ex motu aucto calore, factoque atriori; necnon spiritibus uehemẽter concitatis, ira, audacia, temeritas, sæuities, fidei integritas, animique ex-

poris uires augent; quando uarietates quia admirationẽ animo pariunt ad rerum inuentiones & scientias conferunt, corpusque ad agẽdum impellunt, indeque orta sedulitate cuncta perficiuntur, quia laboribus calor excitatur, ocio autem timiditas fouetur, quid mirum, si Asiani timidos, Europei autem viriles se præbent? Addimus etiam, idcirco Asianos bello longè ab Europeis peritia atque ferocitate superari (idque ad eos mores spectat qui educatione atque exercitio comparantur) quia libertate maximè in uiuendo Europei fruuntur, neque ut Asiani sub insolenti regum imperio uitam traducunt suam, minimeque legibus arctè adstringuntur, quando illi ob eas causas molles, desides, timidissimosque fore, neque in bello propriæ fortitudinis periculum facere, dum aliorum ditioni obediunt cura sit, ut anteà declarauimus dum eorum mores percurreremus, qui autem liberè uitam traducunt suam, ut neque metu, aliamue ob causam opprimantur, quin cum se se occasio obtulerit, belli pericula subire possunt, pro seipsisque strenue pugnant, nõ autem ob imperium opesque alijs comparandas, fortia admodum sustinẽt, & præter dignitatis gloriam, victoriæ etiã præmijs potiuntur suæ, leges namque dum belli præmia disponunt, quantum ad virilitatem augendam conferant cuique satis constat. Hoc itaque modo Europa atque Asia inter se præstant. Quid, quòd Europei nedum patrum inter se corporum proceritate, & speciebus, uerum etiam animorum magnitudine dissepara ntur atque fortitudine, prout scilicet regiones uario, & inęquali fruuntur cęlo? causæ autem eædem sunt quas antea aperuimus, & eas adhuc apertiores reddemus, si ad particularia saltem

Europeorf. dissimilitudinis ratio.

tem

tem loca, & regiones deſcenderimus, quæ inſigniorem mutationem experiuntur. Quicunque ſanè ea Europæ loca incolunt quæ montibus referta ſint & ſaxis, arboribus autem minimè conſita, ſed aquis multis prædita, & ad ſummam, quæ ob ſitus naturam maximis pateant cęli diſcriminibus, ut ſcilicet uentis concitentur maximè quia arborum ſolicitudine minimè ſcinduntur, niuibuſque ob montium accliuitatem abundent, neceſſariò frigidiſſima ut ſit oportet, quamuis ſuo etiam quodam tēpore calida euadit, tunc ſcilicet cum ob loci planitiem ſolis radij expeditiores, nulloque aut montium aut arborum interpoſitu impediente feriant. Cùm itaque crebra admodum fuerint huiuſce cęli diſcrimina, homines ijs ſubiectos uario etiam modo affici oportet, ſi quidem moribus agreſtes, feros, præcipuè circa hoſtes; quia frequentet eorum animi concitentur, laborum patientes fore, eximiamq; præ ſe ferant uirilitatem neceſſe eſt; quod quidem quo pacto contingat ſuo loco antea fusè declarauimus, ſi uerò humidum calido moderatè annectantur, præter materiei copiā quæ generationi ſuggeretur, id etiā commodi capiunt homines hi, facilem ut corpora à formatrice ui extenſionem ſuſcipiant, ea propter magnę & procerę ſtaturæ ſint, & diutius uiuant. Secus autem ijs euenit qui loca incolunt decliuia, cauaque, ut non longè à montibus diſtent, humentia, lacuſtria, æſtuoſa, herbis conſita, quæque aeres denſos & auſtrinos flatus calidiores ſcilicet quam frigidiores excipere magis

untur, neque amplè efformari poterant à natura, minusque benè compositi esse possunt, latos tamen & multa carne obsitos esse oportet: cuius rei causa inde pendet, quoniam humores ex quibus geniti sunt aluntur que, cum deorsum potius quam sursum tendant quia crassi, non autem ad latera, tanquam materiei motui magis naturalia loca, in longum admodum potrahi à ui formatrice nequiuerunt, ob excessum enim calidi aeris & aquarum resoluta atque imbecillis facta natura in latus facilè extendere eos humores potuit, ob minorem quam exposcit ad huiusmodi opus uim, & proinde carnem gignere, unde & latis membris, & benè carnosi mox euadent, quamuis crudi humores cum fuerint, tumens caro potius quam eiusdem optima generatio extimanda sit, horum corpora ad nigrorem potius quā albedinem tendunt, fusca ea dixeris, ea propter capillis etiam nigris donata sunt, quia pituita minus scateant quam præusta bile, idque ob æstuosam aeris naturam, quæ cum crassum atque atrum succum gignant, carnē etiam ex quo producatur & iugiter nutritur, eiusdem coloris ut sit probabile est (cum ex cutis colore qui intus in corpore humores sint facilè argui possit, nisi tamen aut ob externum frigus, aut animi merores in profundum humores trahantur, quando ex colore tūc falli nos contingat) atrum autem sed tenue tamen excrementum fuliginosum scilicet in caput pre agilitate dum se tollit, idemque cutis meatibus figitur, nec nō eosdem perforat, capillos suæ quidem naturæ simillimos, atros scilicet, & nigros ut producat rationi est consonum: demum, cum ob regionis cauitatē aer ventis minimè perfletur, sed ob aquas à pratēsibus herbis minimè eas flue-

re liberè permittentibus retardatas, craſſius redditur magis; nec non ob ſolis æſtũ corpora vireſque reſoluantur imbecilliaque fiant oportet; idcircò neque diuturnos labores ſuſtinere, neque ob inſiti caloris ſubſtantiam exhauſtam ſcilicet & euaneſcentem, animi virilitatem retinere valent, qua propter imbecilles, & vecordes vt plurimum redduntur: hoc vno tamen excepto, niſi conſtanti regionis inſtitutione caueantur, quominus timidiores ſint; nam pęnarum metu plurimi hominum ex ignauia & vecordia, quia exercent ſeſe, & educatione perficiuntur, in laborum tolerantes, & viriles etiam euadunt, indèque optima conſuetudo, & habitus contrahuntur: ſi quibus verò fluminibus ea regio prædita ſit quibus ſtatarię pluuiæque eorum aquæ deriuentur, quę antea hominibus plurima afferre incõmoda conſueuerunt, in cenſu hoc ſibi reponent, vt aere puriore reddito atque nitidiori, nec non attemperato tùm ob remotas ęſtus occaſiones, tùm ob fluminũ frigiditatem, in pulmonibuſque attracto, ſplendidiora ea, coloratiora, & venuſtiora euadẽt corpora, ſalubriorique dein homines fruentur vita, ſpiritus enim & ſanguis enutritionis omnis auctores ſunt præcipui: ſecus autem contingit, ſi ob fluuiorum defectũ in quos aquę prauę, ſublimes, paluſtres, malèque olentes minime deriuentur, incolæ eas ingurgitate cogantur, quando prę craſſitie indomitaque eorum natura, nec non ob alienæ ſubſtantiæ immixtionem inferiores vẽtres impleri

gidis,& aquis salubribus profluentes, quia cęli aerisque serenitas frigori adiuncta calori robur augent,moderataque humiditas extensioni opem fert; magni inde omnes æqualiter,formosique ut producantur homines probabile est;semen enim ex quibus constant ubique facultati formatrici sequax fuerat, præcipuè si regio ea sit, in qua magna cęli discrimina minimè contingant; quando constitutio hæc animos molles, placabiles, mansuetos, haud feros, minimum audaces,atque iracundos gignet, veluti si inæquales sunt,contrarios producere est apta,ut pluries annotatum à nobis est;contrà autem,si arida fuerit regio,infęcunda,patens,minimèque inęquali cęlo subiecta, feros,atque ob membrorum duritiem uegetes, colore flauos,ad nigrorem tamen tendentes,nec non duris moribus, obfirmatis animis,vt qui propria sententia omnia metiuntur & iudicant. Ad summam,ira implacabiles vt gignat probabile est, idque ob naturæ similitudinem continget,denique, vbicunque creberrimæ contingunt, inter se,seu ad alia comparatæ cęli uarietates atque tempestatum,ibidem & corporum formas,mores,naturasq; ipsas maximopere sibi ipsis & cęteris dissimiles esse oportet:rationi quippè consonum est, tempestatum diuersitates potissimum hominum naturas in contrarium trahere,mox regiones ipsas & aquas, cum enim cęli constitutiones aerem immutent quo potissimum viuimus,quoq; necessariò frui cogimur, is intrò assumptus, extraq; humana corpora pertingens, quo modo non vehementer propriam hominibus naturam impartiatur, eminentiorique modo agat,quam regiones & aquæ? est enim aer maximus in omnibus quæ corpori accidant auctor,quãdo cælestia corpora ad uires influendas eo maxime vtãtur,

tur, ſicubi autem terra vliginoſa, ſucci plena, aquis ſuper fluens, lutoque referta fuerit; quaque ſublimes ſcaturiãt aquæ; adeò vt æſtate quidem calidæ, hyeme uerò frigidæ ſint, tempora uerò anni ſuam retineant naturam, fateri quidem licebit ob humidas calidaſque haſce cauſas carnoſas, articulis obſcuris malèque diſtinctis, minimũ verò firmis, atque præ mollitie, quia calor diſſipatur laborum intolerantiſſimos fieri homines, quodque ad mores ſpectat, quia prauis ſcatent humoribus qui animum perturbãt, indèque ocio diſcit male agere, uafros ut plurimum atque ſubdolos, ſomniculoſos, ad artes atque ſcientias capeſſendas quia cerebrum opletum, mentiſque ſedes excrementis veluti irrigata eſt, tardos atque hebetes obſeruare licebit: alio autem modo ſe eos homines habere experimur, ſi regio arboribus expers ſit, aſpera, ſaxoſa, difficiliſque aditus, cæli nec non iniurijs vtrinque obnoxia, vt ſcilicet hyemẽs frigidiſſimam, æſtatem verò calidiſſimã experiatur, aquiſque fruatur profundiſſimis, ibi enim homines aſperi, fortes, uegetes; quorum articuli cõſpicui ſint, & præ ſiccitate firmi, pilis hiſpidis hirtiſque laborum tolerantes, operibus aſſidui, induſtrij, uigileſque, euadunt: quod autem ad animum attinet, pertinaces iracundique ob ſiccitatem cum cum calido adnexã, immo implacabiles immiſericordeſque potius, dum idem calor in ſiccitate maior conſtiterit, omnique potius comitate, atque ſociabilitate alieni quam

uerint maximè delectantur, qua in delectatione dū diù consistant, adhuc magis ad indagandum se excitant, ea propter quia tali præditi sunt temperamento, scientiarum inuentores facilè euadunt, quod tamen qui humidi crassique erant assequi potuerant nunquam, frigidum enim quæ inueniri possunt, facilè operit. Demumque rei bellicę prompti strenuique fiunt sectatores, nam robusti redduntur, & laborum tolerantes, quādo furentes ueluti animi facilè armis ministerium præbent: plusquam enim millies dictum est, quæ gignit regio ac solum ueluti ex materno utero sibi simile ut producat fore necesse. Exhis itaque tanquam cæterarum orbis totius regionū atque tempestatum constitutionum naturis, nec non hominum dispositionibus inter se contrarijs à nobis pro exemplo ueluti propositis, cuipiam uel mediocriter etiā ingenio perspicaci facile erit, quo inter se modo regiones cęteras, anni tempora, hominū qúe affectiones quæ inter hæc media sunt, uariari contingat, firmiter iudicium ferre.

FINIS.

